DE

SONIS DIALECTI RHODIACÆ

COMMENTATIO ACADEMICA

QUAM SCRIPSIT

RUDOLF BJÖRKEGREN

UPSALIÆ MCMII
TYPIS DESCRIPSERUNT ALMQVIST ET WIKSELL

DE
SONIS DIALECTI RHODIACÆ

COMMENTATIO ACADEMICA

QUAM SCRIPSIT

ET PERMISSU AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE UPSALIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

IN PUBLICO DEFENDET

RUDOLF BJÖRKEGREN

LIC. PHIL.

IN AUDITORIO IV DIE XIX M. APRIL. A. MCMII

H. A. M. S.

UPSALIÆ MCMII

TYPIS DESCRIPSERUNT ALMQVIST ET WIKSELL

Multi iam intercesserunt anni, ex quo opusculum de dialecto Rhodiorum edidit Bruell[1]. Postea autem, quamquam laboribus studiisque virorum doctissimorum in rebus Rhodiis perscrutandis operam navantium copia titulorum Rhodiorum in annos aucta, vetustioribus monumentis diligentius examinatis, lectionibus plurimorum emendatis, in multas ad dialectum pertinentes res nova sparsa est lux, de singulis quidem rebus dialecti Rhodiacæ grammatici multi disputaverunt, nemo totam adhuc tractavit. Nec consuetudinis, quam amphoræ præbent, sermonis quisquam fere rationem habuit. Quæ cum ita essent, materiem totam, quæ quidem mihi cognita esset, denuo tractare haud inutile mihi visum est. Quod ut facerem, me commovit etiam spes fore ut, cum plurimi tituli Rhodii ad ea tempora pertinerent, quibus dialectus illa κοινή veteres dialectos summovere coepit, quantulum possem, ad dialectum illam, cuius studium his proximis annis inflammatum est, cognoscendam meum afferrem. Initio autem apud animum statueram de tota dialecto Rhodiorum colonorumque, qui ab iis profecti sunt,

[1] Brüll, Ueber den Dialect der Rhodier, in Jahresbericht über das königliche katholische Gymnasium zu Leobschütz für das Schuljahr 1874—1875, Leobschütz 1875.

Phaselitarum, Gelensium, Agrigentinorum, Reginorüm agere, nimis tamen crescente materia res coegerunt, ut in hac commentatione de sonis tantum dicerem, sperans fore ut postea occasione data cetera absolvere possem.

Introductio.

1. Ex historia Rhodiorum.

Ad progressus linguæ populi cuiusdam cognoscendos mutationesque intelligendas sæpe permagni interest historiam ipsius populi novisse. Quapropter in rebus Rhodiorum et colonorum, qui ex iis profecti sunt, ea breviter exponam, quibus dialectus ipsa eiusque mutationes collustrari possint[1].

De antiquissimis rebus Rhodi gestis usque ad quintum a. Chr. n. sæculum perpauca pro certo cognovimus. Homines Doricæ originis olim in insula habitasse et tituli iam antiquissimæ ætatis et scriptores antiqui testantur. Haud incredibile est Cares ante Dorienses insulam tenuisse (cfr Conon. 47, Thucyd. I, 8), quorum tamen memoria nusquam nisi forte in nominibus locorum nonnullis ut Ἀτάβυρις, Ἀταβυρία, Μνασύριον restat (Beloch, Rhein. Mus. 49, 130; Pauly-Wissowa II, 1887; AM 21, 62; cfr Busolt, Griech. Gesch. I, 173). Num et Phoenices insulam obtinuerint, etiamnunc incertum est (cfr Gelder Gesch. 40 sq.; Beloch, Rhein. Mus. 49, 111 sq.). — Quod ad originem attinet Doriensium, qui Rhodi habitabant, scriptores antiqui fabulas multas tradunt. Primum Rhodii commemorantur in catalogo navium, qui vocatur, B 653—670, ubi duce Tlepolemo Heraclida socii ceterorum Græcorum Troiano bello interfuisse narrantur. Qui Tlepolemus cæde facta, postquam

[1] De rebus Rhodiorum nuperrime copiosius egit H. de Gelder, Die Geschichte der alten Rhodier, Haag 1900.

collectam multitudinem in naves imposuit, post multos errores Rhodum in insulam appulerat. Iam temporibus belli Troiani in tres partes divisi in urbibus Lindo, Ialyso, Camiro Rhodii habitabant, id quod de tribus illis phylis Doricis Ὑλλέων Δυμάνων Παμφυλέων commonet, quas in insulis Co, Calymna, Thera, in urbibus Cretensibus quoque nonnullis invenimus [1]. Monendum etiam est Tlepolemum apud Homerum progeniem dici Herculis, quem constat Argis utique cultum esse [2]. Fabula Iliadis, quamquam ad recentissimas operis partes pertinet, docet tamen iam illis temporibus famam pervulgatam esse Rhodum e Græcia incolas accepisse. Quam eandem fabulam cum etiam Pindarus in carmine Ol. VII, quo Diagoram Rhodium olympionicam a Damageto oriundum Eratum, regem Argivum, auctorem gentis suæ nuncupantem celebravit, leviter perstringeret, certe opinionem elocutus est, quæ tum late apud Rhodios patebat, Argis Tlepolemum deduxisse colonos.

Posteriores autem scriptores tradunt Althæmenem, unum ex Heraclidis, nepotem Temeni, cum manu Doriensium Cretam primum, ubi partem suorum reliquisset, deinde Rhodum cum ceteris navigasse, Caribus, qui tum insulam tenerent, expulsis, urbes tres ibi condidisse (Conon, Narr. 47). Alio modo Strabo, qui Ephoro auctore narrat (XIV 653 C cfr X 479 sq.) non Althæmenem ipsum sed partem Doriensium, qui Megara condita eum Cretam secuti essent, Rhodum occupasse. Et Thucydides VII, 57, 6 et Polybius et multi alii (quos apud Gelderum enumeratos invenies, Gesch. p. 32) Rhodios Argivi generis fuisse testantur. Fabulæ autem, quantumcunque singulis in rebus inter se discrepant, in hoc uno consentiunt Rhodios ab Argivis ortos esse. — Accedit quod in insula ipsa nonnulla sunt, quæ in memoriam Argos revocent. In titulis Rhodiis I 180^3, 750^4, $761^{10, 22}$, 883, AM 21, 45 n:o 15^3 tribules Ἀργεῖοι commemorantur. Hodie quoque Rhodios locum prope Archipolim situm Ἄργος ap-

[1] Gilbert, Staatsalterth. II 305; Museo Ital. III p. 641, 647, Monumenti Ant. I p. 49.

[2] Wilamowitz, Eurip. Herakl. I 293 sqq.

pellare auctor est Hiller I p. 112. Casi, Calymnæ etiam loca erant, quibus nomen Ἄργος fuit[1]. Et statuam Nisyri repertam[2], in honorem nauarchi Rhodii incisam, Ποσειδᾶνι Ἀργείωι sacratam invenimus, quod cognomen Neptuni sumptum esse ab oppidulo Ἄργος secundum Steph. Byz. s. v. olim Nisyri sito probabile est[3]. Forsitan alienum non sit hoc loco commemorasse in titulo I 26 quarti fere exeuntis sæculi Nicasicratem quendam aram dedicasse Ἀσκληπιῶι τῶι ἐν Κεγχρεαῖς ταῖς ἐν Ἄργει, ad quod Hiller in memoriam referens ea, quæ apud Pausan. II, 24, 7 exstat, ubi locus eiusdem nominis Argis Tegeam proficiscentibus ad viam situs commemoratur, dubitanter coniecit Rhodi quoque locum nomine Κεγχρεαί fuisse.

Althæmenis memoriam autem Rhodii servaverunt in nomine tribus(?) Ἀλθαιμενίς in titulo Camirensi exstante (I, 695[19, 43]). In honorem Eratidarum appellatum est sodalicium Ἐρατιδείων (I 40[3] cfr Ἐρατιδᾶν AM 25 p. 110 n:o 108[11]). Quæ omnia testimonia sunt non dubia iam temporibus satis antiquis cum Rhodios ipsos tum Græcos plerosque sibi persuasisse Argis colonos Rhodum deductos esse. Hæc testimonia totius fere antiquitatis ea re confirmari videntur, quod in vasculo vetustissimo Camiri reperto litteræ earum simillima sunt, quibus Argis utebantur (vide infra). Quantum coloniæ Rhodum deducendæ Dorienses alii participes fuerint (cfr Strab. l. l.), haud facile est diiudicatu. Fortasse coloni complures Epidauro erant oriundi, unde Cos aliæque insulæ vicinæ, Cnidus et Halicarnassus incolas acceperunt. Quam sententiam nonnulla sunt quæ commendent. Ut apud Rhodios enim ita etiam apud Astypalæenses, Nisyrios, Telios δαμιοργὸς vel δαμιεργὸς vel δαμιουργὸς nomen erat magistratus cuiusdam, quod nomen etiam apud Argivos reperitur (Bottermund, De republica Rhodiorum, p. 13). Tum Coi Rhodiique Aesculapium venerabantur (Roscher, Lex. mythol. I, 1, 625; I p. 234, ind.), qui deus præsertim apud Epidaurios

[1] Ross, Reisen auf d. griech. Inseln II 107, III 47, IV 10.

[2] Inscr. Græcæ Ins. III 103[13].

[3] Gelder, Gesch. 336, cfr Ross l. l. II 79.

in honore erat (cfr tamen Wilamowitz, Phil. Unters. IX, 101). — Constat urbes Rhodi Camirum, Lindum, Ialysum cum Co, Cnido Halicarnasso societatem olim inisse, quam Hexapolin vel exclusa Halicarnasso Pentapolin Doricam vocabant (Herod. I, 144). Cretenses vero iam antiquitus multum cum Rhodiis commeasse cum propter vicinitatem insularum probabile est, tum quod ineunte septimo sæculo ad Rhodios Gelam condituros se applicaverunt.

Nec minus iis antiquitus cum Ionibus commeatus erat, quod et litteratura (vide infra) et similitudo vasorum Rhodiorum et Ionum testantur[1].

Rhodii, postquam quinto sæculo tempus aliquod imperio Persarum subiecti fuerunt, ad societatem maritimam Atheniensium fortasse non multo post pugnam apud Mycalen factam se applicaverunt[2]. Qua in societate usque ad annum 411 a. Chr. n. remanserunt. Cum se ab Atheniensibus segregassent, tres illæ urbes insulæ, antea a suis quæque gubernatæ, anno 408 novam urbem, Rhodum appellatam, condiderunt, quæ deinde caput reipublicæ Rhodiorum factum est. Optimatibus et popularibus vicissim regnantibus postea iam Lacedæmoniis iam Atheniensibus amici erant insulani. Tum breve tempus in dictione regum Cariæ fuerunt, a quibus mox se liberaverunt. Quamquam deinde Alexandro Magno Asiam subigenti obnoxii erant, tamen iis contigit, ut regis in se benevolentiam retinerent. Mortuo Alexandro libera iam deinde civitas Rhodia florentissima diu et potentissima erat civitatium Græcarum non modo in iis negotiis, quæ ad mercaturam, sed etiam ad publicas res Græcorum pertinebant. Propter quas res rationesque multifarias fieri non potuit, quin lingua communis, qua Græci post tempora Alexandri in communi consuetudine utebantur, ad dialectum Rhodiorum mutandam multum valeret. Externorum magnam multitudinem, Ionum præsertim, Carum aliorumque, qui proxime in Asia habita-

[1] Cfr Boehlau, Aus ionischen und italischen Nekropolen, Leipzig 1898, p. 73 sq.

[2] Gelder, Gesch. 71 sq.

bant, illis temporibus Rhodum venisse ibique civitate interdum impetrata consedisse tituli testantur. Non raro accidit, ut cives Rhodii feminas Ionicas in matrimonium ducerent. Quantum Rhodiis cum aliis populis commercium fuerit, ex hoc suspicari licet, quod amphoræ Rhodiæ locis maxime inter se distantibus copiose repertæ sunt. Linguas earum omnium gentium plus minusve ad quotidianum utique sermonem mutandum pertinuisse verisimile est, quamquam e fragmentis dialecti, quæ ad nostra tempora servata sunt, perraro de hac re iudicare possumus.

Rhodii, cum post pugnam apud Pydnam factam in fidem et clientelam Romanorum venissent, parte possessionum altero sæculo amissa, magno detrimento mercaturæ allato, exeunte primo a. Chr. sæculo Romanis obnoxii facti sunt. Quamquam usque ad tempora Claudii, ut videtur, libertatem servarunt, tamen iam circ. Chr. n. de magnificentia reipublicæ Rhodiæ actum erat. Libertate a Claudio reddita (cfr I 2) iterumque a Vespasiano adempta (cfr Sueton. Vesp. 8) Rhodus cum Achaia, Lycia aliisque in formam provinciæ redacta est (cfr I 4). Quæ fata Rhodiorum etiam in dialecto relucent. Ex eo tempore enim, quo a Romanis dependere Rhodii coeperunt, magis magisque in titulis signa Doricæ dialecti evanuerunt et Attica vel communis lingua irrepsit, quamquam diu in sermone (cfr Sueton. Tiber. 56) et interdum in titulis vetere dialecto utebantur.

Restat, ut de coloniis Rhodiorum pauca disseram.

a. Gela, Agrigentum.

Thucydides tradit (VI 4, 3 sq. cfr Herod. VII 153) Rhodios et Cretenses anno quadragesimo quinto post Syracusas conditas (i. e. anno 690 a. Chr.) in Sicilia Gelam condidisse, Gelenses autem fere anno centesimo octavo post (circ. a. 580) Agrigentum coloniam deduxisse (cfr præterea Polyb. IX 27, 8; Timæus, F. H. G. I 215 fr. 90). Quam narrationem Thucydidis re vera dialectus earum urbium confirmat (præsertim infin. in -μειν exiens). Gela autem a. 281 ab Mamertinis deleta Phintias, Agrigentinorum tyran-

nus, Gelensibus urbem Phintiam a se conditam et apellatam novam sedem dedit (cfr CIL X 737).

Agrigentum vero a Romanis anno 210 a. Chr. n. expugnatum deletum est.

Mirum est, ut Regii tabula aenea reperta sit, honorarium decretum a Reginis factum continens (ISI 612), quae non modo propter infinitivum ἀναθέμειν sed etiam vocem ἁλίασμα non nisi in tit. Agrigentino (ISI 952[8]) et Gelensi (ISI 256[1]) exstantem comprobat incolas huius oppidi dialecto eadem qua Gelenses et Agrigentinos usos esse, quamquam de hac re aliunde nihil compertum habemus; cfr CIL X, 3.

b. Coloniæ Rhodiæ in Asiam deductæ.

Rhodios colonias complures in Asia condidisse verisimile est, quamquam de hac re non multum cognovimus (cfr Gelder, Gesch. 66 sqq.). — Ad Phaselim vero, urbem Lyciae, condendam Philostephano auctore apud Athen. p. 297 traditur Lacius Argivus vel Lindius, frater Antiphemi conditoris Gelae, cum viris missus esse (cfr Steph. Byz. s. v. Γέλα; Herod. II, 178). Re vera dialecto confirmatur Phaselitas a Rhodiis ortos esse, ut e foedere inter eos et Maussollum icto videre licet (GDI 4259 v. 9 καταλαφθήμειν).

2. Fontes.

I. Rhodus.

1. Tituli.

Monumenta, quae ad dialectum Rhodiorum cognoscendam pertinent, maximam partem tituli sunt, quorum plurimos Hiller edidit in IGI I. Cui viro doctissimo, cum in insula aliquod tempus degeret, contigit, ut magnam multitudinem titulorum, qui antea editi sunt, denuo examinaret, lectiones falsas emendaret, incertas confirmaret, eorum, qui ex insula evecti erant, ectypa chartacea sibi pararet. Quibus rebus

factum est, ut collectionem præstantissimam absolverit. Liber omnino 1463 titulos continet, e quibus numeri 1—955 et addendi 1442—63 ad Rhodum insulam, 956—976 ad Chalcen, 977—1064 ad Carpathum et Sarum pertinent; in fine libri amphorarum et mercatorum notas, quæ Rhodi, Chalces, Carpathi inventæ sunt, collocavit. Hac collectione usus H. de Gelder nuperrime magnam partem titulorum Rhodiorum denuo edidit et commentario instruxit in GDI III 1, 5, Gott. 1899. Idem et alios titulos, qui dialectum Rhodiam exhibent, aliunde cognitos vel post editionem Hilleri inventos affert. Huc pertinent, quæ a Ialysiis duobus, militibus mercennariis, qui in exercitu Psammetichi, regis Aegyptii, stipendium merebant, in crure sinistro colossi Psampolitani incisa sunt, quas inscriptiones Roehl edidit IGA 482 c, i; deinde iudicium a Rhodiis latum controversiæ, quæ fuit inter Samios et Prienenses, quem titulum optime edidit Hicksius BM III, 403 (= GDI 3758); tum foedus a Rhodiis cum Hierapytniis factum, quod primus edidit Naber, Mnem. I p. 79 sqq. (= GDI 3749). Decreta Rhodiorum exstant apud Heberdey et Wilhelm, Reisen in Kilikien 108 sq. (= GDI 3751) et apud Boeckhium CIG 3656. Et in titulo Iasio tria decreta Rhodiorum, quæ ad Iasum pertinent, relata sunt, quæ Hicksius optime edidit BM III 441. Inscriptiones statuarum Olympiæ repertæ exstant GDI 3765 a, b; ad Rhodum quoque referenda est c (vide annot. Gelderi ad l.). Titulos Rhodios nuperrime repertos invenies etiam AM 20 p. 222—9, n:s 1, 2; p. 377—96 n:s 2—5; 21 p. 39—56, n:s 6—51; 23 p. 390—403 n:s 52—105; 25 p. 108—110, quibus locis etiam unius alteriusve tituli in IGI I exstantis emendationes factæ sunt (20 p. 377 sq., 21 p. 59 sq., ubi titulorum I 25, 49, 72 b, 75 a, 117, 127, 145, 201, 209, 664 lectiones emendatiores fecit Hiller). Rhodiæ originis quoque vasculum Euphorbi (Salzmann Nécropole de Cameiros, tab. 53) esse credo (vide infra). Camiri reperta est testa IGA 10. Elogium Rhodii exstat Arch. Zeit. 40, 276, catalogus Rhodiorum GDI 4335. E collectione denique Heden-

borgii Suecani[1], quæ nuper in lucem protracta est, Scrinzi novos titulos sex et quadraginta edidit in Atti p. 258—86.

2. Amphorarum notæ.

Magnum Rhodiis cum ceteris gentibus commercium fuisse amphoræ testantur, quæ in Europa, Asia, Africa locis maxime inter se distantibus copiose repertæ sunt. Notæ vero, quæ manubriis amphorarum impressæ sunt, quamquam nisi eponymorum magistratuum, fabrorum, mensium nomina non præbent, ad linguam Rhodiorum cognoscendam interdum materiam afferunt.

Collectiones amphorarum his in libris exstant:

a) IGI I, 1065 sqq.; III, 83—85. Rhodi et Teli hæc amphoræ repertæ sunt.

b) IP 766—1250, ubi Schuchhardt eas, quæ Pergami inventæ sunt, composuit.

c) Ἀθήν., ubi Νέρουτσος p. 226 sqq. amphoras Alexandriæ repertas eas edidit, quas Ioannes Demetrius collegit. Dolendum est tamen quod deficientibus in edendo libro maiusculis litteris interdum de specie litteraturæ iudicare nequimus.

d) Mel. I, p. 420 sq. Becker amphoras complures descripsit. Aliam collectionem edendam curavit Stephani Mel. II 16 sq., 209 sq. Multas a Beckero descriptas invenies J. Ph. Suppl. IV p. 453—457; Suppl. V p. 448 sq.; Suppl. X p. 4 sq., 209 sq. Alias collectiones, quibus uti mihi non licuit, edidit Stephani in Antiquités du Bosphore Cimmérien tom. II p. 275 sq., 325 sq., Compte-rendu de la commission imper. archéol. de St.-Pétersb. 1859—69. Hæc omnes amphoræ in Russia meridionali repertæ sunt.

e) ISI n:o 2393, ubi Kaibel notas amphorarum, quæ in Sicilia inventæ sunt, composuit.

f) Stoddart, Transactions of the royal society of litterature, ser. 2, vol. 3, 1—127 notas a se Alexandriæ re-

[1] Cuius tamen lectionibus ut parum certis nimia fides habenda non sit.

pertas, deinde Franz, CIG III p. V sqq. cum aliis ex Russia, Athenis, Sicilia cognitas litteris minusculis edidit. Cui editioni nimiam fidem cave ne tribuas, quoniam F. interdum correctiones tacite fecit.

g) Dumont, Inscriptions céramiques de Grèce p. 76 sq. Cnidias vero amphoras cum Rhodiis aliisque incertæ originis sæpe confudit, quapropter summa cautio adhibenda est (cfr ea quæ dixit Becker, J. Ph Suppl. X p. 40 sq.).

h) Amphoras Rhodias Athenis repertas descripsit Pridik, AM 21 p. 129—138; 22 p. 148 sq. Grundmann J. Ph. Suppl. 17, 279 sq.

Collectiones minores invenies etiam in AM 21, 57 sq.; Ra. 1873, 319 sq. (Cypri et in Syria repertæ sunt), 1875 p. 378 sq. (Alexandriæ repertæ sunt; nonnullæ fortasse exstant etiam in collectione Nerutsi, Ἀθήν.). Minimi momenti sunt, quas afferunt Pottier-Reinach, La nécropole de Myrine p. 224.

De ceteris ad amphoras pertinentibus rebus vide ea, quæ disputaverunt Schuchhardt IP 423 sqq., Gelder GDI III, 1, 5 p. 570 sq.

3. Nummi.

Ad dialectum cognoscendam valent etiam nummi, quos descripsit Mionnet, Description des médailles antiques grecques III p. 413 sqq.; cfr ind. Suppl. IX. Incommode tamen ætatem nummorum Mionnet plerumque non indicavit. — Collectionem nummorum, qui in museo Britannico exstant, optime descripsit Head, Catalogue of the Greek coins of Caria, Cos, Rhodes etc. London 1897 p. 223 sqq. (cfr Historia nummorum, Oxford 1897 p. 538 sq.). Minoris momenti sunt, quos affert Eckhel, Doctrina nummorum veterum I, 2, Vindobonæ 1797 p. 602 sq.

4. Scriptores.

Scriptorum autem, qui dialecto Rhodia usi sunt, perpauca solum restant fragmenta, ut Timocreontis poetæ Rhodii, qui Themistocli æqualis erat (= Bergk, Poetæ Lyrici Græci III, 1200—5; Ahrens, Dial. Dor. p. 477 sq., quem infra

citabo). Tum carmen populare quoddam Rhodium exstat, quod chelidonismum puerorum vocant (= Bergk l. l. p. 1311; Ahrens l. l. p. 478 sq.). Minoris momenti sunt litteræ ad Solonem scriptae, quas falso Cleobulo, philosopho Rhodio, tribuerunt, apud Diogenem Laert. I 93 relatæ. Denique glossæ nonnullæ Rhodiæ apud Hesychium exstant. Hæc omnia ad dialectum cognoscendam non multum valent.

II. Tituli Gelenses et Agrigentini.

a) Ad Gelam pertinent: tabula aenea Olympiæ reperta IGA 512 a, astragalus aeneus in Sicilia repertus IGA 513. Titulos alios vetustioris ætatis invenies etiam in Notiz. 1896, 254 sq.; 1900, 272 sq. Recentioris ætatis sunt ISI 256—261.

Nummi descripti exstant: Catalogue of Greek coins, Sicily, London 1876 p. 65 sq.; Mionn., Suppl. I, p. 387 sq.

b) Agrigentinorum monumenta sunt ansa aenea IGA 521 Agrigenti reperta (cfr Roehl ad l.) et fragmentum tituli vetustioris, quem descripsit Salinas, Notiz. 1895, 239 sq. (= GDI 4253). Accedunt decretum populi Agrigentini ISI 952, decretum honorificum municipii Agrigentini ISI 954, decretum Molossorum honoris causa lingua Agrigentinorum conscriptum GDI 4256.

Nummos descriptos continent Catalogue of greek coins, Sic. p. 5 sqq.; Mionn. Suppl. I p. 359 sqq. — Ad Regium pertinet ISI 612 (GDI 4258).

III. Foedus inter Phaselitas et Maussollum regem ictum GDI 4259.

3. De temporum titulorum definitione.

De aetatibus titulorum multorum constituendis optime meritus est Hiller, cuius definitiones ut satis certas plerumque secutus sum [1].

Aetatem cuiusque tituli constituere summæ est diffi-

[1] Nonnulla attulerunt Gelder in GDI et Mnem. 24, alii, quorum infra mentionem faciam

cultatis, quippe cum perpauci exstent tituli, qui ad certas res gestas referri possint. Quæ cum ita sint, ubi in tempore constituendo nihil ex ipso tituli argumento enucleari potest, aliud adiumentum restat nullum, quam ut adhibitis titulis certæ ætatis specie litterarum ceteri, quoad fieri potest, constituantur. Litterarum vero specie tituli in duas partes dividuntur, quarum altera — et ea vetustior — partim aliam litteraturam atque Ionicam præbent, altera autem et maxima pars eorum temporum est, cum ea litteratura omnino accepta erat; quod ante quartum sæculum factum esse videtur. Recentissima littera Ω enim, quæ primum in nummis Camirensium quinti sæculi exstat (Head, Histor. numm. 538), in titulis post quartum sæculum ubique usurpatur. In nummis tamen civitatis Rhodiæ ad tertium fere sæculum manebat mos signo vetere O pro Ω uti.

Monumentorum vero, quæ litteraturam non plane Ionicam præbent, tria genera sunt:

a) Vas Euphorbi, quod vocatur, (Salzmann, Nécropole de Cameiros tab. 53 [1]), ubi litteræ Argivis litteris simillimæ sunt (præsertim ⊢ = λ, M = σ).

b) Aliam speciem litterarum habent tituli Rhod. (I 709, 718—20, 737, 904), Gelenses (IGA 512 cfr 513; Notiz. 1896, 254; 1900, 274, 281) et Agrigentini (IGA 521; Notiz. 1895, 239), ubi litteræ σ et λ ad similitudinem litteraturæ Ionicæ conformatæ sunt (ξ vel ϟ et Λ vel ↾). Accedit quod nonnulli ex iis vestigia litteraturæ occidentis præbent

[1] Argiva origine hoc vasculum esse probare studuit Duemmler (Archæol. Jahrbuch VI 263 sq.), quem secutus est Kretschmer, Die griech. Vaseninschr. 7 sqq. Cui sententiæ tamen res nonnullæ obstant, primum quod vasa eiusmodi Argis perpauca reperta sunt (cfr Boehlau, Aus ionischen und italischen Nekropolen, Leipzig 1898 p. 73 sq.), Rhodi autem et in oris Asiæ plurima; deinde, si ex tit. Argivo (Monumenti antichi I, 593, circ. 500 a. Chr.) iudicare licet, forma litteræ B alia Argis utebantur (ϲ) atque in hoc vasculo (ʙ). Fortasse etiam spiritus in nomine ʼΈκτορ omissus melius in sermone Rhodiorum quam Argivorum explicari potest (cfr in tit. Rhod. I, 737: *hίνα*, mox autem ὅστις). Quod autem coniecit Boehlau l. l. fabrum in cælatura Argiva imitanda etiam litteras depinxisse, verisimile mihi non videtur.

(Ψ = χ: I 709, IGA I 719, 720, 521, Notiz. 1895; +ξ I 709 vel + Notiz. 1900, 281 = ξ). In titulis Rhodiis littera ⊟ aut et η et *h* (I 737) aut η solum significat. In tit. Gelensibus et Agrigentinis autem η non nisi littera E exprimitur.

c) Ab his titulis ii discrepant, qui in loco Abu-Simbel reperti sunt (IGA 482 c, i), non modo + et Ψ = χ et ψ præbentes sed etiam ⊟ = η et *h*.

In his tam exiguis reliquiis vix quidquam nisi coniecturas afferre possumus sive de litteratura, quomodo hæc tria genera inter se explicanda sint, sive de ætate tituli cuiusque, quæ res cum illa quæstione cohæret. Ac vas Euphorbi quidem, si litteratura Rhodia exaratum est (cfr Boehlau l. l. 73), cum Kirchhoffio (Studien[4] 48) titulis vetustius existimare necesse est. Quomodo autem alterum genus litterarum (b) explicandum est? Credo auctoritate Ionum iam temporibus satis antiquis mutationes fieri potuisse, quibus signa litterarum η, σ, λ e litteratura Ionica Rhodii adsciscebant. Quod ad signa litteraturæ occidentis attinet, Kretschmer AM 21, 422 sqq. ostendit ξ in sermone Græcorum ex *ks* in *khs*, deinde in spirantem gutturalem mutatum esse, quod primum signis +ξ (cfr I 709) deinde + (cfr tit. Gelens. et Agrig.) reddebant. Quo facto aliud signum litteræ χ necesse erat. Ut aspirata a spiranti segregaretur in occidenti pro χ nota Ψ inventa est. Hæc signa litteraturæ occidentis Graeci, cum ex patria Rhodum emigrarent, secum attulerunt. — Quod ad titulos sub b) enumeratos attinet, I 737 antiquissimus videtur, qui βουστροφηδόν, ut dicunt, exaratus est. Hunc titulum Selivanovius, qui primus edidit, AM 16, 118 exeunte septimo sæculo non recentiorem existimat. Aliquanto inferior titulus Camir. I 709 videtur („priore parte sexti sæc.", Seliv. l. l. 111, cfr Duemmler, Archæol. Jahrb. VI p. 263 sqq.). Hoc sæculo recentiores vix sunt ceteri tituli et fortasse I 724, 727, 728 nec non tituli Gelenses et Agrigentini. In quinto sæculo collocandos credo tit. I 887 (cfr AM l. l. 109) et fortasse IGA 472 a (add.) et tit. Lind. I 773.

De ætate et litteratura inscriptionum, quæ in colosso apud Abu-Simbel exstant, docti viri inter se dissentiunt, utrum ad regnum Psammetichi I (664—610) an, quod mihi probabilius videtur, Psammetichi II (594—589) referendæ sint[1].

Sequitur, ut de altera classe titulorum dicam, eorum nempe, qui litteratura Ionica exarati sunt.

Ad ætatem paulo post Rhodum urbem conditam decretum Ialys. I 677 Holleaux (BCH 9 p. 98 annot. 6) refert (ubi tamen εἰ pro αἰ et ἱερόν pro ἱαρόν). Ad quartum sæculum pertinere videtur fragmentum brevissimum decreti fortasse Rhodiæ civitatis, Lindi repertum I 760, ubi litteræ στοιχηδόν incisæ sunt et infin. in -μεν, non ut alias apud Rhodios in -μειν exit. Neque hoc sæculo recentiores sunt inscriptiones ad sacrificia spectantes, quæ in arce Lindi urbis repertæ sunt I 791, 792 et fortasse una vel altera sequentium, in quibus O diphthongum ου et genuinam et adulterinam exprimit neque εο in ευ coaluit. In exeunte sæculo Hillero auctore fortasse ponendus est tit. Ial. I 678 (εο nondum in ευ coaluit), 26, 265 (ubi tamen εό > ευ). Eiusdem fere ætatis est catalogus I 925 (gen. sg. in -ο et -εος, non -ου et ευς). In hoc titulo vero nomen Θαρσίπονος Λυσιστράτο (v. 16) exstat, quod iterum occurrit in catalogo donatorum Lindior. I 764[44], ubi vocales εο nondum contractæ sunt, gen. sg. autem stirp. in ο terminationem ου præbet. Hic titulus eiusdem fere ætatis est atque decretum Lindiorum I 761, ut Holleaux et Diehl BCH 9, 85 sq. in edendo titulo perhibuerunt, quippe cum non minus quam septem nomina utrique titulo communia sint, quamquam hic fortasse paulo recentior est (εο ubique > ευ). Cum autem verisimile sit Calliclem, Tisonis f., qui in catalogo 764[111] nondum suæ potestatis erat, patrem fuisse Tisonis, cuius statuam (I 809) Phyles Halicarnassius fecit, Hiller conclusit indicem 764

[1] De his quæstionibus egerunt Kirchhoff, Stud.[4] 42 sq., Hirschfeld, Rhein. Mus. 42, 209 sq., 44, 461 sq. alii, qui inscriptiones ad regnum Psamm. I referunt. Contra Wiedemann, Rhein. Mus. 35, 364 sq., Abel, Wiener Studien 3, 161 sq., Roehl IGA 482, E. Meyer, Gesch. des Al-

priori parti tertii sæculi tribuendum esse [1]. Subscriptiones aliæ statuarum, quas fecit Phyles, exstant I 85, 103, quæ igitur ad posteriorem partem tertii seculi pertinent (circ. 220 a. Chr. n.). Anno 220 a. Chr. foedus inter Rhodios et Hierapytnios ictum esse (GDI 3749) probare studuit Naber, Mnem. I p. 88. Contra Newton BM II, 115 titulum ante annum 200 incisum putandum non esse existimat. Sententiam Naberi quodammodo confirmavit Gelder l. l., qui commemorat Diogenem, Aristondæ f. (v. 101), qui decreto foederis subscripsit, iterum in tit. Lindio I 765^{7} exstare; neque dubitari potest, quin Μικίων Ἱππάσου huius tituli (v. 4) filius fuerit Ἱππάσου Μικίωνος Lindii 761^{24}, 764^{56} nec non Παυσιπόλεμος Πανταχλεῦς 765^{5} filius fuerit Rhodii Πανταχλεῦς Παυσιπολέμου tituli Lind. 764^{17}. Ad posteriorem partem seculi vel sæculum exiens pertinere videtur statua Xenophanti Rhodii I 40, quam fecit Timocharis Eleuthernæus. Xenophantum quendam ducem classis Rhodiæ anno 219 fuisse commemorat Polybius IV 50, 5, ex quo loco coniecit G. Hermann (Opusc. 8, 370; cfr contra Kaibel, Epigr. Gr. 851, Hirschfeld, Tit. statuar. 72 b), cui coniecturæ favet Hiller (Archæol. Jahrb. 9, 39 sq.), Xenophantum hoc titulo laudatum eundem esse. Timocharem statuarium, qui subscripsit etiam tit. I 124, 812, 813, exeunte sæculo tertio vixisse probabile reddidit etiam Loewy, Inschriften griechischer Bildhauer 130 sqq. Timochari æqualis fuisse Μνασίτιμος Τελέσωνος statuarius Rhodius videtur (cfr annot. Hilleri l. l.), qui subscripsit tit. I 808, et fortasse 824. — In titulis Timocharis et Mnasitimi mutatio quædam litterarum M et Σ conspicitur, quippe cum lineæ extremæ in veterioribus omnino obliquæ hac ætate magis magisque æquo inter se intervallo

terthums I 363, II 461, Gardner, Journal of hell. stud. 7, 231 titulos ad ætatem Psammetichi II referendos censent. Cfr præterea Krall, Wiener Stud. 4, 164; Paley, Philol. Wochenschr. 1883 n:o 37, Revue des études grecques 1890, 221 sq., Larfeld, Griech. Epigraphik 530 sq.

[1] Cum anno 240 statuam Agathostrati Deli fecerit (Schumacher, Rhein. Mus. 41, 223 sq.), ætas Phylis constituitur.

factæ sint. Quod circiter a. 200 perfectum videtur. Iam inde ab altero sæculo litteras apicibus instruere solebant, cuius ornamenti initium iam in statuis recentissimis Phylis et Mnasitimi conspicere licet (cfr Loewy, Inschr. der griech. Bildh. p. 143 sq.). — Circiter a. 200 decreta tria ad Iasum pertinentia BM III 441 facta sunt (cfr ea, quæ disputavit Gelder GDI 3750).

Propter formas litterarum tertio sæculo recentiores putandi non sunt tit. Rhod. I, 20, 25[1], 28, 30, 358, decret. Camir. 694, catalogi Camir. 695, 696, 698, 705, tit. Camir. 736?, 739, tit. Lind. 765 (cfr Mnemos. 24, 92), 766, 767, 811, 843, 905, 906, 914, 923, 924, 926 (quem ex collectione Hedenborgi supplevit Scrinzi, Atti del R. Inst. n:o 12, cfr Mnem. 28, 399 sq.) 933, 949. — Ante Agrigentum deletum Agrigentinorum decretum factum est ISI 952.

Tertii sæculi sunt fortasse etiam I 62 (statua ab Archestrato quodam Athenensi facta) 68, 69 (cfr annot. Hilleri), 708, 774, 884.

In tertio exeunte vel ineunte altero sæculo ponendi sunt I 63, 70 (statua a Simo Salaminio facta) 71, 338, 1442[2], AM 20, n:o 1.

Alterius sæculi ineuntis est iudicium ad Prienenses et Samios pertinens BM III 403 (cfr GDI p. 429). Excerpta scitorum populi Rhodii GDI 3751 ad Eudemum, amicum Antiochi III, regis Syriæ, pertinent itaque ineunti fere altero sæculo tribuenda sunt. Huius sæculi esse scitum populi CIG 3656 coniecit Boeckh.

Pythocritus statuarius, f. Timocharis, ineunte vel medio altero sæculo statuas fecit I 87, 104, 814, 815.

Ad alterum sæculum qui tituli præterea referendi sint, difficile est diiudicatu. Qua in re aliquantum forma litteræ Π, cuius lineas deorsum ferentes circ. a. 100 a. Chr. eadem fere longitudine insculpere solebant, nobis est adiumentum. Hac norma adhibita alterius fere sæculi putandi sunt tit. I 9, 74, 78, 102, 105—6, 113 (cfr GDI 3832), 116, 117

---

[1] Cfr Hill. l. l. et AM 20 p. 227. [2] Cfr GDI 3761.

(cfr AM 21, 60), 155, 156, 158, 162, 322, 742, 746, 788, 816, 819, 825, 835, 838, 840, 841, 852, 890, 891, 894, 917, 922; AM 21 n:o 51; 25 n:o 106. Ad alterum vel primum sæculum referenda sunt plurima elogia I 166—642, 682, 683, 712—717, 748—55, 867—882, 938—947; AM 21 n:s 12 sq.; 23 n:s 56 sq.

Ad primum sæculum magna pars titulorum Rhodiorum pertinet. Quorum ætatem ut definire possemus, effecit Mommsen, qui probavit (Sitzungsber. der Berl. Akad. 1892 p. 849) tit. Rhod. I 48 propter viros Romanos ibi laudatos intra annos 82 et 74 a. Chr. factum esse. Ope huius tituli Holleaux (Revue de Philologie 17, 171 sq.) et Hiller (Arch. Jahrb. 9, 23 sq.) tempus titulorum plurimorum constituerunt. Statuæ I 48 enim subscripsit Plutarchus, Heliodori f., qui etiam statuas alias I 108, 844 fecit. Vixit igitur circ. a. 80 a. Chr. Aequalis fere fuit frater eius Demetrius, qui exstat in tit. I 769 et fortasse simul cum fratre in tit. I 844, cuius tituli duo nomina Ἀθαναγόρας Εὐφράνορος (v. 21) et Ζήνων Πράξωνος (v. 33) communia sunt catalogo magno Rhodiorum I 46[137, 268], qui, ut probavit Holleaux l. l. p. 174 paullo recentior est. Sex nomina eadem et in hoc titulo exstant et in statua I 47, quam fecerunt Epicharmi duo, nec non tit. I 43, 66, 846, e quibus I 66 unum nomen (Καλλίστρατος Κλεωνύμου) cum n:o 46 (v. 333) commune præbet. Plutarchus igitur et Epicharmi statuarii æquales fere existimandi sunt. Eodem tempore vixit etiam Charinus statuarius, cuius exstant tituli I 72 a, quocum I 72 b cohæret, et I 107. Hic enim titulus nomen Ἑρμόδοκος Ἑρμοδόκου (v. 4) præbet, quod iterum occurrit in I 46[239]. Illum titulum tamen (107) paullo vetustiorem esse probabile est (cfr Hiller ad l., Holleaux l. l. 177). Eiusdem ætatis est Theon sculptor (I 42, 73 a, 842 cfr 127[67], 381, sepulcrum Theonis), quippe cum nomen Κλεισίτιμος Ἀρχεστράτου I 42[17] exstet etiam I 46[320], et certissima videtur coniectura Foucartii Timocratem I 42[1] eundem esse ac Timacratem, Polycharmi f., in tit. 41[1] laudatum. Ac Damagoras, Euphranoris f. (41[5],

46^{157}) diversus non fuisse ab illo videtur, qui a. 88 contra Mithradatem bellum gessit (Appian. Mithr. 25); cfr Holleaux l. l. 175 et Hiller Archæol. Jahrb. 9, 32.

Multi Rhodii autem in titulo I 46 laudati et in aliis titulis reperiuntur (cfr Holleaux l. l. p. 180 sq.), ut in I $50^{21, 30}$ (= $46^{144, 161}$), 49? (cfr Hiller ad l. et AM 20, 385 sq.), 54 (= 46^{472}), 196 (= 46^{341}), 199^{1} (= 46^{362}), 201^{1} (=46^{213}), 271 (= 46^{315} cfr 46^{339}), 730^{21} (46^{472} et 54^{1}), 828^{1} (= 46^{262}), $845^{30, 35}$ (= $46^{232, 25}$). Propter formas litterarum ad primum sæculum pertinere existimandi sunt etiam tituli I 3, 13, 16, 36, 44, 45, 53, 55, 64, 75, 110 (cfr Hiller l. l.), 111, 121, 127 (cfr supra), 157, 182, 247, 303, 320, 354, 367, 680, 701, 704, 731, 734?, 748, 762, 776, 815, 833, 847, 848, 849, 853—4, 863, 873, 896, 913, 935, 954.

Circiter annum 45 a. Chr. n. ponenda videtur inscriptio statuæ I 57, ubi inter alios C. Iulius Cæsar laudatur. Decretum honorificum I 90 ad Theopompum, amicum Cæsaris, spectare existimaverunt omnes, qui titulum ediderunt. Ad exeuntem ætatem liberæ rei publicæ Romanæ titulus I 833 pertinet. Primi sæculi aut ante Chr. n. exeuntis aut post Chr. n. ineuntis sunt I 850, 31.

Quod ad titulos ævi imperatorum attinet, ludos in I 77 commemoratos ad Augusti ætatem referendos esse coniecit Hiller. Ad Augustum vel Tiberium pertinet titulus I 38. De libertate Rhodiis a Claudio imperatore a. 53 p. Chr. n. reddita in decreto I 2 agitur[1]. Ad honorem Paconiæ Agrippinæ factum est elogium I 91 a. Statuæ Claudii et Messalinæ fuisse videntur I 805, 806 I. Honoris causa Poppææ Sabinæ (63—65 p. Chr.) incisus est titulus I 39. Ad primum annum imperii Neronis pertinet epistola AM 20 n:o 5, cuius in initio versus quinque dialecto Rhodiorum compositi sunt. Vespasianus laudatur in I 679. Ad tempus, quo Rhodus a Vespasiano in provinciæ formam redacta est, pertinere tabulam I 4 et nomine Flavii a Rhodiis compluribus sumpto et nominibus

[1] Cfr Rev. de Philol. 20, 133 sq.

quinque etiam in decreto I 2 relatis probabile est. Decretum honorificum, ubi Titi imperatoris mentio fit, est I 58. Domitianus commemoratur I 59. Ad Flaviorum quoque ætatem pertinere videtur subscriptio statuæ, qua Tit. Flav. Phanostratus honoratur, I 65, nec non tituli I 23, 786. Hadriani fere ætatis sunt I 100, 740, 789, 807, 831, 832. Ad Nicostratum rhetorem, qui Suida auctore (s. v.) sub M. Antonino florebat, pertinere titulum I 83 censuit Boeckh.

Aevo imperatorum tribuendi sunt etiam I 7, 8, 92, 94, 643—55, 839, 918.

Alterius fere sæculi sunt I 93, 95, 99, 772 b, 837.

Tertio sæculo vetustiores habendi non sunt tituli I 738, 779—83, 928.

Ad ævum Christianum referendi sunt I 175, 757, 902, 903, 911, 912 („septimi vel octavi p. Chr. n. sæc.", Holleaux), 916, 920.

Quod ad amphoras attinet, multo difficilius est ætatem cuiusque constituere, cum alia partim specie litteraturæ figuli usi sint. Tamen omnino dici potest amphoras plurimas ad alterum vel primum a. Chr. sæculum pertinere, partem minorem autem vetustiorem esse. Et amphoras Pergami quidem repertas Schuchhardt II² p. 432 certis rationibus nixus altero a. Chr. sæculo recentiores non esse affirmat.

Qui titulos ponendos curaverint, si quærimus, perpauca senatus populique Rhodiorum decreta invenimus: I 1—5, GDI 3749, BM III 441, in quo versus 1—3 dialecto Iasensium compositi sunt, itemque in relato populiscito CIG 3656 initium Ionica dialecto conscriptum est. Titulum BM III 403 iudicium collegii Rhodiorum esse, qui controversiam inter Samios et Prienenses dirimerent, iam ante dictum est. Legem sacralem a Lindiis constitutam titulus I 677 continet. Decreta Camirensium exstant I 694, 696, Lindiorum 761, 762, AM 21 p. 64, I 890. Decreta Gelensium insunt in

ISI 256, 257, Agrigentinorum in ISI 952, 954, Regiensium in ISI 612. Publicis sumptibus posita est statuarum magna pars: I 37—100; 679, 805—807 (quæ ad imperatores Romanorum pertinent); 808—865 (quibus sacerdotes, magistratus, victores, privati a Lindiis celebrantur). Catalogi et quæ sunt generis eiusdem quæque ad rempublicam Rhodiorum attinent, reperies in I 7—19. Nomina exsignata magistratuum Lindiorum fragmentum brevissimum I 678 præbet. Πάτραι Camirensium recensentur in I 695. Lindiorum cives nonnulli enumerantur I 698. Catalogi sacerdotum magistratuumque Apollinis Erethimii I 730—2, civium Lindiorum I 764—68, 883—5, 924—26 exstant.

Dedicationes a privatis et sodaliciis factas tituli Rhodii I 20—36, Camirenses 701—705, 739, 742, Lindii 769—804, 817 a, 892, 915, 932, 935, 949 continent.

Monumenta sepulcrorum maximam partem sermone pedestri composita sunt I 155—551, 552—642 (elogia hominum originis incertæ) 643—55 (elogia Romanorum), 682—93, 706—717, 737, 740—5, 747—59, 866—82, 887—9, 894—903, 907—912, 917—921, 937—955.

Ex iis titulis, qui versibus compositi sunt, non minus quattuor et viginti, scilicet I 33, 40, 44, 75 a, 140, 142—8, 150—2, 782—3, 806 II, 837, 842, 914 928, AM 21 n:o 11, AM 20 n:o 2 disticha elegiaca, quinque I 153, 779, 780, 781, 737 hexametros præbent. In carmine I 141, versus sex priores trimetri iambici sunt, deinde totum carmen disticho elegiaco concluditur. — Valde mutilata sunt carmina I 154, 866, quorum de numeris nihil certum dici potest.

Epigrammata dialecto Doricis, Ionicis, epicis, Atticis formis valde permixta composita sunt. Non nisi Atticas et Ionicas formas præbent I 143, 145, 151, 153, 779—789, nominibus exceptis propriis, quæ plerumque Doricam formam obtinuerunt.

Non nisi Doricas formas fere exhibent I 142 μάτηρ, μνᾶμ', (σ)τᾶσεν; I 147 Πλουτίδα, δέρκευ, τάμ ποκα, γᾶν τάνδε, χρηστοτάταν, ἀρετάν; I 150 τέχνας, παράσαμον, γᾶ. Cum in ce-

teris carminibus pluribus dialectis compositis longum sit omnes formas enumerare, exempli causa unam vel alteram afferam: I 141 εὐσεβῶν, Κόρη, Ἑρμῆς, εἶναι, πίστεως, πάσης, πλήθη, ἔτεα, ξεῖνε, στέφαν; I 806 Ἀντιπάτροιο, νέην, μάμμης, εὐκόμοιο, χαριζομένη, γεράε[σσιν, ἡ, χρυσῆν, κόρης sed ἀνέστασεν, πρεσβυτάτα.

Ad dialectum Rhodiorum non pertinet decretum Erythræorum I 6, quod dialectum Atticam meram præbet, et fortasse clipeus marmoreus Camiri repertus I 700, quem Froehner Coum esse affirmat, (cfr IGI III, 7). Dialecto Attica omnino conscriptum est fragmentum recentissimæ ætatis AM 21 n:o 6. Ionicam dialectum vasculum I 721 præbet.

I. Vocales.

§ 1. ᾰ.

Ut apud ceteros Dorienses ita in dialecto Rhodiorum α breve ex progræca ætate traditum plerumque servatum est. Sunt tamen voces quædam, in quibus aliæ dilecti ε præbent.

a) α : ε.

1. Ἄρταμις : Ἄρτεμις.

Dorica forma Ἄρταμις in titulis usque ad ætatem Hadriani reperitur: Ἀρτάμιτος I 891^{8} (altero a. Chr. sæc. non recentior), $825\,a^{1}$ (eiusdem ætatis), 883 ter (recens), 814^{5} (alterius a. Chr. sæculi); 66^{2}, 828^{8} (primi sæculi); 831^{3} (ætatis Hadriani), $786^{3,8}$ (ævi imperatorum), 845^{3} (primi a. Chr. n. sæc.), 820^{6}; Ἀρτάμιτι I 891^{5}, 784, $104\,c^{6}$. Qui omnes tituli aut collegiorum sacerdotum aut privatorum curis incisi sunt. — Ex deæ nomine nomen mensis Ἀρταμίτιος derivatum est, cuius exempla multa cum in titulis tum in amphoris exstantia in I p. 237 et ISI, IP indices præbent, ut I 3^{1}, 891^{3}; 1069, 1071: 1, IP 769, 780, 804, 811.

Juxta hanc altera quoque forma Ἄρτεμις exstat: Ἀρτέμιτος I 818^{8} (statua altero fere sæculo a Lycaonio facta); Ἀρτέμιτος[1] 834^{1}; Ἀρτέμιτι I $823\,a^{2}$ (statua alterius fere sæculi), 24^{4} (tertii vel quarti post Chr. n. sæculi); Ἀρτέμιδι I 915, Ἀρτεμι . . . I 137. — In nomine mensis ε nisi in am-

[1] Ross Ἀρτέμιδος legit.

phoris duabus IP 1014 et J. Ph. IV n:o 7 non reperitur[1]. Semper ε præbent nomina appellativa, quæ tamen plurima externorum sunt aut in titulis post alterum a. Chr. n. incisis reperiuntur: Ἀρτεμίδωρος I 199 et novies, Ἀρτεμιδώρα Λυκία I 509, Ἀρτεμεισία I 72 b[3] et septies (Rhodiæ fortasse originis non erant), Ἀρτεμισία I 658 et bis (Rhodiæ originis non erant), Ἀρτεμίς I 494 et bis (externæ), Ἀρτεμώ (Phaselitis) I 550, Ἀρτέμων I 46[11], 581.

Vix in dubio esse potest, quin forma genuina Dorica Ἄρταμις primigenia apud Rhodios fuerit. Ἄρτεμις autem, quæ in titulis Doricis non nisi in recentioribus reperitur (cfr G. Meyer, Gramm.[3] 102), forma communis linguæ putanda est non minus atque in dialecto Rhodiorum, in qua nomina Ionica ad α in ε mutandum valere potuerunt.

Quod ad veriloquium attinet, Wilamowitz (Eurip. Her. I[2] VIII) et Kretschmer (KZ 33, 467 sq., qui persecutus est a Roberto apud Prellerum, Griech. Mythologie I[4] 296 acceptam etymologiam Wilamowitzii), Schweizer, Gramm. d. Pergamen. Inschr. 98, formam Ἄρταμις cum ἄρταμος composuerunt[2]. Assimilatione α ex Ἄρτεμις exstitisse putant G. Meyer l. l., Brugmann, Gramm.[3] 71, Buck, Amer. journ. of philol. 10, 463 sq.

2. ἱαρο- : ἱερο-.

Raro apud Rhodios forma ἱαρο- occurrit: Ἰαροφῶ[ντος I 797 (quarto sæc. non recentior), ἀρχιαριστάς I 705[15], (tertii fere sæc. exeuntis). Incerta putanda est lectio Hedenborgii Τιμαγόρας Ἰάρωνος Atti 12[4], quem locum Scrinzi correxit Ἰά(σ)ωνος; cfr ibd.[3] Ἱέρων Τιμαγόρα.

In titulo Camir. supra laudato I 705 etiam ε exstat: ἱεροποιοί[2], ἱερεῖς[16]. Post tertium sæculum in titulis nusquam ἱαρο- reperitur. Ea omnia exempla abundantia enumerare cum operæ pretium non sit, ea solum afferam, quæ in

[1] Ceteris omnibus locis, quos affert Schweizer, Gramm. der Pergam. Inschr. 98, non ε sed α exstat.

[2] Cfr G. Meyer, Gramm.[3] 103.

titulis exeunte tertio sæculo vetustioribus exstant: I 694 ἱερόν[3, 17], ἱερῶι[10, 14], ἱεροποιοί[17], ἱερά[18] (Camir. decret.); I 764 (ineunte tertio sæculo) Ἱεροκλέος[57], Ἱεροφάνης[4]; I 761 (priore parte tertii sæculi) ἱερέων[39], ἱεροποιῶν[40], ἱερῶν[43], ἱερά[44], ἱερόν[45, 49], ἱερεύς[48], ἱεροθυτᾶν[39]; I 677 ἱερόν[3] (et bis), ἱεροταμίας[6] (decret. Ialys. quarti sæc.); I 923 [ἱ]ερόν[15]; I 924 ἐπ' ἱερέως[22] (tertii sæc.); I 809 ἱερατεύσας[2]; I 813 ἱερατε[ύσαντος[1].

Primariam formam Doricam fuisse ἱαρός (< *isəros) Sscr. *iširas* docet (G. Meyer Gramm.[3] 158, Brugmann, Gramm.[3] 122)[1]. Quod ad formam ἱερός vel ἰερός, quæ in Ion., Att., Arcad., Cypr., in dialectis Doridis recentioribus reperitur, Osthoff, Morph. Unters. IV 151 ε analogia adiectivorum in -ερος ut φοβερός cet. exstitisse probabile fecit.

Iam satis antiquitus ἱερός apud Rhodios præponderans docet mature auctoritatem linguæ communis in Rhodia ut omnino in eorum dialectis, qui Asiæ proximi habitabant, insinuasse. In Cois enim titulis exeunte quarto sæculo dialectus illa tantum valuit, ut forma ἱερο- prævaleret, ut ostendit Barth[2]. Quod ad titulos Rhodios pertinet, lex sacralis I 677, ubi iam nisi ε non exstat, quarto sæculo exeunte vetustior, si recte vidit Holleaux, documento est, quam mature apud Rhodios quidem dialectus illa ad veterem Doridem mutandam pertinuerit.

Commemorandum denique est in epigrammate I 842[6] numerum ι longum in ἰερός poscere; de hac re cfr Schulze, Quæst. ep. 207 sq.

3. κα : κεν, κε.

Particula Dorica κα frequenter in titulis occurrit. Inter loca multa exhibeo I 677[30] 694[5] 155[38] GDI 3749[7] et vicies quater (Rhodi); ISI 256[28] (Gelæ); ISI 952[26] (Agrig.).

Κεν, κε autem non reperiuntur. De etymologia conferas Solmsen KZ 35, 463 sq., qui varias formas ad Ieur.

[1] Cfr tamen Schulze Quæst. ep. 210.

[2] De titulorum Coorum dialecto p. 30.

qa, quem, qe refert. De *hóκα* IGA 482 i, πόκα I 147[1], ὅκκα I 695 [17] autem vide Brugmann, Gramm.[3] 254.

4. γα : γε.

Dor. Boeot. particula γα (cfr G. Meyer, Gramm.[3] 60) in monumentis Rhodiis non exstat. Tituli sepulcrales enim nonnulli altero a. Chr. sæc. vix antiquiores non nisi γε præbent: I 565 γε, 946 σύ γε (sic etiam in tit. Carpathio I 1019); τύγε autem I 717. Fragmentum Timocr. 1 τύ γε habet. In titulis sine dubio forma γε dialecto communi attribuenda est. Timocreontem vero poetarum lyricorum more non mera dialecto sed mixta usum verisimile est.

5. ἕνεκα, οὕνεκα : ἕνεκεν.

Frequenter forma ἕνεκα usurpatur, quæ in scitis populi, in collegiorum decretis, in statuis, in elogiis vicies septies exstat. Omnibus locis post prepositionem consona sequitur. Ex quibus perhibeo I 846[8], 844[35], 43[6, 11], 734[6], 155[37]. ἕνεκεν vero in titulis Rhodiis, qui primo a. Chr. n. sæc. antiquiores non sunt, ante consonas ter reperitur, I 53[5] (subscriptio statuæ a senatu Rhodiorum positæ), 839[28] (decret. honorificum alterius fere p. Chr. n. sæc.), Atti n:o 6[6] (decretum honorificum collegii primi a. Chr. n. sæc.); in fine enuntiationis I 76 (tit. privatus, qui vestigia Atticæ dialecti præbet). Tum in populiscito Gelensium ISI 256[22, 33] primo a. Chr. n. sæc. vix antiquiore, in decreto Regiensium ISI 612[1] (primi a. Chr. sæculi) ante consonam exstat. οὕνεκα præbet epigr. Rhod. I 152[1]; quibus de formis cfr Wackernagel KZ 25, 262; 28, 109 sqq. Brugmann, Gramm.[3] 41.

Acc. ταῦτες, ἄλλες pro ταῦτας ἄλλας ad exemplum nominativorum in -ες ficti sunt.

De Σάραπις, Σέραπις vide sub § 20.

De ἀρι-, ἀρε- : ἐρι-, ἐρε- vide § 3.

b) ᾰ cum ο alternat in Ἰδαμενεύς : Ἰδομενεύς; vide sub § 2. — καταvoγραφῆσηι pro καταναγραφῆσηι in decreto Gelensium ISI 256[29] haud scio an menda titulum describentis putanda sit.

§ 2. ᾱ.

1. Doricum α longum, quod genuinum comparatis linguis Indoeuropæis agnoscitur, et cui Ion. η, Att. η vel ᾱ respondent, in dialecto Rhodiorum summa cum tenacitate et in stirpibus et in terminationibus etiam iis temporibus servatum est, cum lingua Attica vel vulgaris aliis in rebus omnino dominabat. Exceptis enim nominibus propriis, de quibus disserendi infra locus erit, ante Chr. n. nusquam in titulis publicis pedestri sermone compositis η pro α occurrit[1]. Primo demum post Chr. n. sæculo in titulis η reperimus, ut in statua Poppææ Sabinæ a populo posita I 39: Σε]βαστήν[1], δ]ῆμος[5]. In titulis publice aut ex decretis collegiorum factis primi et secundi post Chr. n. sæculi η et α inter se de dominatione luctantur, ut in subscriptione statuæ I 84 (primi fere p. Chr. n. sæc.): βου[λ]ά, iuxta τήν, σεμνότητ[ος]. In titulo privato I 786 (primo p. Chr. sæculo) inter alias Doricas et Atticas formas commixtas invenimus: ἀγαθᾷ τύχᾳ[1] Ἀθάν[ας[5], Ποτιδᾶνος[11] cet. sed τετειμημένος[15], τῆς[17] cet. Eundem sermonem mixtum præbet alius titulus privatus I 787 („primi post Chr. n. sæculi", Ross), lex sacralis I 789 (Hadriani ætatis), ubi non nisi versus primus: τύχᾳ ἀγαθᾷ Rhodia, cetera omnia dialecto communi conscripta sunt. Sic etiam est in decreto honorifico a sacerdotibus Minervæ Lindiæ facto I 839: τᾶς[28] εὐεργεσιᾶν[28] cet., non multo autem post πάσῃ ἀρετῇ[33]. In decreto sodalicii Lindiorum primo sæculo non multo recentiore I 937: Διονυσιαστᾶν[3] cet. sed φιλοτειμηθέντος[8] invenimus. Semper α præbent inscriptio statuæ a senatu populoque positæ I 95, quæ secundi p. Chr. sæculi est, et 83 (circ. 180 p. Chr.), 918 (primi vel alterius p. Chr. sæc.). Contra η pro α exstat in tit. I 96 ἥν; 645 αὐτῆς (ævi imperat.); 648 Τύχης (ætatis Romanæ); 76 νενικηκότι, Καμειρῆς τιμῆς. Tituli Christianæ ætatis numquam nisi η communis linguæ exhibent I 902, 903, 911, 912, 916, 920.

[1] In elogio autem Phaselitæ I 317, alterius fere a. Chr. sæculi, legimus Φασηλίτης, ἡ, ἐπιδημία.

In nominibus civium Rhodiorum ante primum sæculum a. Chr. n. η pro α rarissime apparet. Circiter hoc sæculum autem Rhodii cum aliis rebus tam η pro α utendo nomina magis ad normam communis Græcorum sermonis adaptasse videntur, ut Ἀθηνόδωρος I 844[11] (at Ἀθανόδωρος I 764[119], 847 et aliis locis), Ἡφαστίωνος I 46[319], Δημήτριος[190] (sed Δαμάτριος[205]); Δημήτριος (Δημητρίου) Ῥόδιος I 127[65] ni fallor idem est, qui paullo ante in eodem titulo Δαμάτριος Δαματρίου Ῥόδιος (v. 10) nominatur. Et nomen artificis Δημήτριος Ἡλιδώρου semper η præbet, quamquam tituli, quibus subscripsit, ceteris rebus dialecto Dorica exarati sunt. Alia nomina Rhodiorum, quæ η pro α præbent, sunt: Ἀσκληπ[ιάδα] I 11[10], Δημήτρι[ος] 13[9], Βοήθου 19[9], Ἡλιάς Ἡλιοδώρου 108[14], Λητόδωρος 768 a[3], Ἡλίου 819[23].

Apud Rhodios fuisse mos videtur, ut feminæ, quarum complures certe Ionica gente erant, peregrini, servi, ancillæ Rhodi eadem forma nominis, qua in patriis suis appellarentur, quam ob rem in nominibus eorum sæpissime η pro α occurrit: Στ]ησαγόρη I 197, Τιμανόρη 137, Ἁγησιρόδη Τλωία 184, Ἁγησιρόδη 111[1] (et ter), Σω]στράτη Τλωΐα 315, Σωστράτη Στρατονικίς 876, Ἡδίστ[η] 10, Μνασιμβρότη 29, Ἀγλουρόδη 332, Ἱπποστράτη Νισυρία 239, Τιμομβρότη 363, Δημητρία 439, Λαοδίκη Νεαπολίτιδος 447, Εὐνίκη (τροφός) 454, Ἰσογόνη Φασηλῖτις 540, Αὔγη Λυκαονίσση 546, Ἀταλάντη Σελγίς 548, Μενεστράτη 549, Καλλιτύχη 561, Ἡδίστη 592, Τέχνη Λυδά 507, Ἀρσινόη 635, Ἱερομ[β]ρότη 949. — Μίθρης 748, Δημήτριος (ex Antiochia) I 539 b, Βοήθου 636, Δημαίνετος (Ephesius) 940.

Item nomina gentilia et ex iis derivata propria η pro α exhibent: Ἀθηναῖος I 70[4], Ἀθηναία 388, Μιλησία 875, 113[4], Ἀθηναΐς 508, 889, Πέρσης 520, Μιλήσιος 323, Ἀρχίδαμος Μιλήσιος 819[35].

Dialectum Ionicam iam antiquitus apud Ialysios quidem magnam vim habuisse vel inde colligi potest, quod in nummis huius urbis quinti ante Chr. n. sæculi iam Ionica forma Ἰελυσίον iam Dorica Ἰαλυσίον usurpatur (Hist. Num. 538,

Cat. Car. 226)[1]. Alienum non sit hoc loco admonere etiam in tabulis tributariis Atheniensium quinti sæculi Ialysios decies et quater Ionica forma Ἰελύσιοι nominari (CIA I Ind.).

Singulare est, ut in ara illa quarti sæculi exeuntis I 26, quam Νικασικράτης Μνασιδώρου dedicavit, Ion. vel Att. forma Ἀσκληπιῶι exstet. In titulis recentioribus semper α reperitur: Ἀσκλαπιοῦ I 736[12] (tertii sæculi), Ἀσκλαπιαστᾶν I 701[10] (primi a. Chr. n. sæculi), 164[4], 162[6].

De falsis formis Doricis Ζάνων, Αἰνασιδάμου vide § 4.

Utrum in vocabulo εἰρήνα et derivatis vocalis η ex Ionica vel communi lingua irrepserit necne, in dubio sane est. In monumentis Rhodiis forte nisi derivata nomina non exstant, quæ omnia η præbent; cives Rhodii erant Εἰρηναῖος I 46[261], 64[5]; nomen eponymi Ἐρηναίου exstat in amphora I 1124, Εἰρηνίδας in amphora Ἀθην. n:o 58 et I 46[208]. Rhodiæ originis non erant Εἰρήνα[2] Σολίς I 127[69], Εἰρήνα Σύρα 528, Εἰρηναῖος 266, 391 (Alexandrinus). Hi omnes tituli enumerati primo a. Chr. n. sæc. antiquiores vix sunt, quam ob rem crederes η in illis nominibus aut ex Ionica aut e communi lingua fluxisse, præsertim cum tituli vicinarum insularum formam εἰράνα vel ἰράνα præbeant. Tituli Calymnii: εἰρά[ν]αι GDI 3567[26], ἰράναι 3567[9, 19]; Coi: εἰράναι PH 1[11], 2[7], 3[7], GDI 3614[11]; nec non in titulis Epirot., Acarnan., Boeot., Arcad., Cret. εἰράνα vel ἰράνα exstat. Sed η non solum Ionicum et Atticum (εἰρήνη), verum etiam Lesbicum erat (εἴρηνα Hoffmann, Dial. II 529). In titulis Cretensium et εἰρήνα et ἰρήνα occurrit (G. Meyer, Gramm.[3] 98). Denique forma εἰρήνα apud Pindarum, Bacchylidem et in fragmentis Alcmani traditur. Quam ob rem a probabilitate non abhorret vocalem η ex palæograeca ē ortam esse. Veriloquium vocis tamen in obscuro est. G. Meyer l. l. censet vocabulum cum Ϝρη (Ϝερ in εἴρω, Lat. *verbum*) cohærere et in (ε)ἰράνα α analogia vocum, quæ suffixo -ᾱνα conformatæ

[1] In titulis recentioribus non nisi Dorica forma Ιαλύσιος reperta est, ut I 677[1], 679, 58[22].

[2] In terminatione α certum est, cfr AM 21 p. 61.

erant, exstitisse. Neque etymologia Fickii BB 23, 186 (εἰρήνη < *ε-Ϝιρηνη, -ᾱνα) difficultates disparuerunt.

2. ᾰ : ο.

Videtur Doriensium utique proprium fuisse in nominibus compositis, ubi pars prior compositionis in -ο vel -ᾱ exiit, vocalem α præferre. In nominibus Rhodiornm tamen sæpe ᾱ cum ο alternat[1]: Πολεμακλῆς BM III 403^{4}, Τιμακράτης 764^{28}, AM 20 n:o 1$^{2, 6, 9}$ et decies sexies; Τιμάκριτος 1442: 22, Τιμακράτη AM 23 n:o 75, Τιμακρατῖνος I 47^{5}, Ἱερακλεῦς ISI 2393: 298, Τιμάπολις I 836, 359, 732^{8}, Ἑρμακ|ράτης I 815 b^{3}, Νεαπολίτας 447, 872^{2}, Νεαπολῖτις 447. Iuxta ο in Τιμοκράτης I 764^{10} et undecies, Τιμόκριτος 750^{1} et semel, Ἑρμοκράτης 705^{7} et sæpius, Νεοπολίτας 730$^{7, 15}$. Longum α inest etiam in στεφαναφόρου BM III 403^{82} et bis, στεφαναφορίαν I 847^{8}, 848^{4}, ἱεραπόλου ISI 256^{1} (Gelæ), ὁρκιατομεῖ Timocr. fr. 3. Vocalem longam fuisse dialectus Attica et Ionica docent: Τιμηκράτης, Τιμηκλῆς (Bechtel, Person.^{2} 265), θυηπολέω, θυηπόλος ὁρκιητομέω, στεφανηφόρος. In epigr. Mnem. 24 p. 192 n:o 14^{4} θυαπολίας (Cedreæ) propter leges metricas α longum putandum est. Qua de tota re vide apud Brugmannum, Grundr. II, 1 p. 45 sq., Gramm.^{3} 166.

Num in compositione etiam α breve cum ο alternaverit, (quod sumit Wackernagel KZ 27, 263; 28, 132 sequente Brugmanno l. l. p. 46) non satis liquet. Ἀλκᾰ́θοος cet. enim accusativus vocis *ἀλξ (cfr ἀλκί) esse potest, et in θυραωρός. πυλαωρός fortasse correptio vocalis latet. Tamen in tit. Rhodiis antiquissimis duobus nomen Ἰδαμενεύς I 737, 904, ubi locus prior in versu α breve præbet, quod nomen cum glossa Hesychii ἴδη· μάχη componere velim (cfr Μενέ-μαχος, Μεν-αίχμιος, Δορυ-μένης). Breve α etiam in Ἡρα-κλῆς, Att. Ἡροκλῆς inest (Schweizer 68). Fortasse huc referendum est nomen Παλα-μήδης (πάλη, *lucta*), cfr Ἀστυ-μήδης[2].

[1] Primo a. Chr. n. sæculo Τιμακράτης Πολυχάρμου I 41^{1} etiam Τιμοκρά[της Πολυχάρμ]ου I 42^{1} appellatus videtur.

[2] Curtius, Etymol.^{5} 268 cum παλάμη composuit.

Si recte se habet lectio in nomine Ὀνόσανδρος I 66[3] (cfr apud Suidam Ὀνόσανδρος)[1] aliter fictum est atque Ὀνάσανδρος I 925[15] et sæpius. Hoc enim ad ὀνῆσαι[2], illud ad ep. ὀνοσσάμενος, ὄνοσις referendum est. Cfr tamen Bechtel, BB 21, 236.

3. Pro Λάγου in tit. I 144 invenimus Λαάγου. Duplex vocalis scripta exstat in Πααsόνιον I 874[3], Ἀαριστοδώρου I 378.

De ᾱ contractione ex α + α, α + ε, α + ω, ο + α, orto vide § 19.

§ 3. ε.

In dialecto Rhodiorum eidem vocali ceterarum dialectorum omnino respondet.

1. ει : ε.

In nota mercatoris Διοκλε[ί]ους[3] I 1285. Hoc loco ει clausum sonum significat ut in titulis Atticis Τιμόθειος ἱδρόσειως, Kretschmer Vasen. 136, cfr BlassAusspr.[3] 33 sq. Alia eiusmodi exempla affert Schweizer 44 sq. Neque aliud ante consonas significat: εἰπί ISI 2393: 51, 425 (amphoræ); in elogio Phrygis I 530 Ἀν]δρογείνευς.[4]

Aliter se habent τέλεος I 905[4] (tertio sæculo non recentior) et Τελείωι I 704[5], 701[20], τελείωι I 72 a[2], 935 (altero sæculo vetustiores non sunt), ubi ε scriptura antiquior est pro ει (ẹ) (< *τέλεσϝος > τέληος, τέλεος vel τέλειος; Brugmann, Gramm.[3] 45)[5].

2. ι pro ε.

Mutationis ε in ι nulla certa exempla in monumentis Rhodiis exstant. Δωροθίου enim pro Δωροθέου, Dumont n:o 111, cum alibi nulla eiusmodi exempla inveniantur,

[1] At Ὀνοσάνδρου CIG III p. XI, 361 erratum typographi est (cfr ibd. n:o 5453).

[2] Bechtel, Person.[2] 224.

[3] P pro I testa habet.

[4] Cfr Blass, Ausspr.[3] 34, Schulze, Quæst. ep. 41. Kretschmer l. l.

[5] Parum recte in dial. Attica Schwyzer apud Meisterhansium[3] 43 formam τέλεος iis vocabulis annumerat, ubi ι evanuit. Forma τέλεος enim in titulis Atticis ut in Rhodiis quam τέλειος vetustior est.

dubia fide est. In aliis vocabulis nonnullis vicissitudo vocalium aliter explicatur.

In nominibus, quorum prius membrum compositionis a verbo ἄρχω derivatum est, ε cum ι alternat: Ἀρχέδαμος I 764^{121}. Ἀρχέστρατος 42^{17} et ter, Ἀρχέλαος 18^{6}, Ἀρχελαΐδας 1262, Ἀρχέβουλος 1105, Ἀρχέμαχος 1263 (mercator), Ἀρχέμβροτος $66^{1,3}$, 1106, 1264 (mercator). — Contra Ἀρχίδαμος 705^{21} et sæpe alias, Ἀρχίτιμος 764^{72}, 884^{4}, Ἀρχικράτης 46^{68} et sæpius, Ἀρχικύδης 341, Ἀρχίνικος 764^{72}, Ἀρχίνομος 761^{17} et semel, Ἀρχίπολις 925^{2} et alias, Ἀρχιάναξ Νισύριος 149^{5} alias, Ἀρχιλαΐδας IP 960–4 et sæpe alias; in amphoris: Ἀρχίβιος I 1107, Ἀρχικράτης IP 958, 959. Quod ad ætatem horum titulorum attinet, nullus tertio a. Chr. n. sæculo vetustior est. — Quamquam in nominibus, quorum membrum prius stirps verbalis est, id antiquitus plerumque per ε exit [1], tamen verisimile non est apud Rhodios vocalem ε in illis compositis posterioribus temporibus pronuntiatione clausa in ι transisse. Immo, cum etiam in aliis dialectis Græcis ἀρχι- exstet et interdum cum ἀρχε- alternet [2], ι analogia eorum nominum, ubi vocalis in compage genuina erat, exstitisse putandum est (Ἁγησίτιμος : Ἀρχίτιμος; aut Ἀρχι- : Ἀρχο- = Κυδι- : Κυδο-) [3]. Eadem analogia ι exsistere potuit in Μενιδάμου Ἀθην. n:o 132 (bis) Μενιστράτου ISI 239:3: 4 b, Μενισθεύς I 1351: 2.

Analogiæ forte tribuenda est alternatio etiam in præfixis ἀρε- ἐρε- : ἀρι-, ἐρι-. Quamquam de veriloquio præfixorum nihil certi constat [4], propter notionem inter se cohærere putanda sunt. Suffixum ἀρε- exstat in Ἀρέστρατος I 251 a [5],

[1] Cfr Meisterhans^{3} § 45 b 4, Brugmann, Gramm.^{3} 168 sq.

[2] G. Meyer, Gramm.^{3} 143, Bechtel, Person.^{2} 72 sq. Meisterhans l. l., Schulze, Quæst. ep. 42.

[3] Cfr Brugmann, Gramm.^{3} 169; Wackernagel, Vermischte Beiträge p. 8 sqq. Tertia vocalis compositionis ο exstat in Ἀρχοκράτης I 761^{18} et sæpe, Ἀρχόδαμος IP 965, 966 Ἀρχοκλῆς Ἀθην. n:o 64.

[4] Aptissime mihi videntur hæc præfixa ad particulam ἄρα, Cypr. ἐρ vel ἔρ(α) referri posse, cfr P. Persson, Stud. etym. 56 sq.

[5] Hiller coniecit Ἀ[γ]έστρατος vel Ἀρ[χ]έστρατος.

᾿Αθην. n:o 30 (bis), ᾿Αρέμαχος ᾿Αθην. n:o 29 (quater). ἀρι- autem in ᾿Αρίστρατος ᾿Αθην. n:o 50 quinquies, I 1103, AM 23 n:o 65, ᾿Αριδείκης I 766[13, 14]. — Suffixum ἐρε-[1] inest in cognomine Apollinis ᾿Ερεθίμιος I 732[9], 730[1], 733; ferias dei Rhodii vocabant ᾿Ερεθίμια I 735, quo loco Hiller de glossa Hesychii admonet: ᾿Ερεθύμιος· ὁ ᾿Απόλλων παρὰ Λυκίοις· καὶ ἑορτὴ ᾿Ερεθύμια. — Cum suffixo ἐρι- compositum est demoticum ᾿Ερεναεύς I 732[10], 198 (et bis), ᾿Ερεναΐς I 197. Ad hanc alternationem efficiendam analogiæ tales quales sunt Τηλίμαχος: Τηλέμαχος, ᾿Αρχίστρατος: ᾿Αρχέστρατος valere potuerunt.

De ε in ᾿Ανχεμάχο Notizie 1895, 239 (Agrig.) comparato ᾿Αγχιμάχη (Pape, Lex.) cfr G. Meyer, Gramm.[3] 144.

In ᾿Αρχέας I 764[124] et ᾿Αρχίας I 730[10] (et quinquies) ι ex ε non evasit, sed diversis stirpibus ᾿Αρχε- et ᾿Αρχι- conformata sunt (G. Meyer, Gramm.[3] 183; Schulze, Quæst. ep. 297 sq.).

Terminationis loco -εος, quæ antiquitus apud Rhodios ut omnino apud Dorienses in gen. sg. stirp. in -ες exeuntium usu frequens erat, in lamina Gelensi IGA 512 a exitum -ιος reperimus: Μενεκράτιος pro Μενεκράτεος. In qua terminatione Dittenberger vestigium dialectus inesse Cretensium, qui Gelæ condendæ participes erant, acute coniecit. In recentiore titulo Gelensi autem ISI 256[6] ῾Ιπποκλέος itemque in Agrigentino ISI 952[6]: Διοκλέος (bis) exstant.

De ἱστία, ἑστία vide § 20.

De ε pro ει vide § 10.

De ε : υ cfr § 8.

§ 4. η.

Iam in antiquissimis titulis Rhodiis η eadem nota qua spiritus asper signabatur, i. e. Ionica littera η: πημαίνοι, ποίησα I 737; Τήλεφος IGA 482 c. In Gelensibus et Agrigentinis titulis antiquissimis autem E notabant: Παντάρες, ἀνέθεκε IGA 512 a, cet. — Antiquitus η dilatatum sonuisse

[1] Cfr Corp. inscr. Græcar. Græciæ Septent. I n:o 540[3]: ᾿Ερέδαμος, BCH 7, 112 n:o 7[22]: ᾿Ερέτιμος (Deli); Bechtel, Person.[2] 67.

inde apparet, quod η ex contractione ortum eodem modo notatur: λειόλη I 737 (< -εα; Blass, Ausspr.[3] 26). Recentioribus temporibus η videtur clausum sonuisse. Exstant enim

1. ε pro η.

In statua primi a. Chr. sæc. legitur πλε̄θος I 847[14], quod quamvis in titulis singulare, vix menda haberi potest, cum tale in amphoris notisque mercatorum haud insolitum sit: Αἰνέτορος I 1072: 3, Ζένωνος I 1307: 2, Διοκλε̄ς I 1284, Ἀριστοδέμου I 1095: 2. Quin hac scriptura vocalis coartata (?) popularis sermonis significetur, in dubio vix esse potest.

2. η pro ει.

In amphora: Πεδαγητνόου ISI 2393: 148 (primi fere a. Chr. sæculi) Χαρίκληα Μακέτις I 516 in elogio haud scio an pro -εια (G. Meyer, Gramm.[3] 121).

3. η pro ι.

Ἀρταμητίου in amphora Mel. I n:o 10 (= Cauer Delectus[2] n:o 194), quocum conferas ε in Ἀρταμετείου IP 900. Ἀμνήστιος præbet elogium alterius fere sæculi I 256, at Ἀμνίστιος I 257, 258 (litteris apicatis), decurtatum Ἀμνι I 4[26, 27, 34] (primi post Chr. sæc). Βουλακρήνευς pro -ίνευς exstare videtur in elogio AM 21 n:o 17. Aevi Christiani est κυμίσεος = κοιμήσεως I 920.

De η communis linguæ pro α vide supra § 2.

Contractione η ortum est ex α + ε, ε + α, ε + η, η + α, de quibus conferas § 19.

De η productione orto infra § 21 disseram.

E diphthongo genuina altera parte evanida η exstitit: 1) ex ηϝ: Ἰδαμενῆος I 904 (< -ηϝος), Ποντωρηίδος I 173, 176, 201 (< *Ποντωρηϝίδος); 2) ex ηι, cum ι evanuisset, de qua re vide § 14.

Hyperdorismo, quod vocant ᾱ pro η exstat in nominibus nonnullis: Ζάνωνος I 1307: 3—6 (cfr ibd. 1, 7, 8: Ζήνωνος). [Αἰ]νασιδάμου Mel. I n:o 17 pro Αἰνησιδάμου I 1071, 347 et alias (cfr Αἰνεασιδ[άμ]ου Mel. I n:o 18), Αἰνάτορος ISI 2393: 51 (bis)[1].

[1] G. Meyer. Gramm.[3] 420 sq.

Latinum *e* longum apud Rhodios η notatur: Αὐρηλίας I 654[1], Αὐρηλιανόν I 83[2], Οὐηράνιος I 4[5], Οὐηρανία I 4[50], Κορνήλιον I 48[1, 3], 643, Μουρήν[αν I 48[5].

§ 5. ŏ.

Brevi ο ceterarum dialectorum apud Rhodios ο semper fere respondet.

A primordio vocali o apertum sonum fuisse constat (Blass,Ausspr.[3] 27). Sono clauso (ŭ) iam exeunte quarto et ineunte tertio sæculo vocalem appellatam esse ex ea re concluditur, quod tunc εο diphthongo ευ reddere coeperunt (§ 19, 11), et quod in amphoris interdum ο et ου (ŭ) alternantes reperimus: Τιμουρ(ρ)όδου ISI 2393: 489—492, Ἀθην. n:o 175 (sexies), Dumont n:o 254, I 1198 octies; at Τιμορόδου Dumont n:o 252, Τιμορρόδου Ἀθην. n:o 175, I 1198: 8; Τιμ[ούμ]βροτος legendum est in I 764[51] (tertio sæculo ineunte), cfr GDI p. 541.

ε : ο.

Ἱππεδάμου Ἀθην. p. 228 n:o 91, quam quis formam nominis Ἱπποδάμου emendaret (cfr I 1322, 617), nisi in alia amphora Ra 1873 320 n:o 63: Ἱππεδα[1] exstaret. Aut ε analogia Ἀρχέδαμος : Ἀρχόδαμος natum est, aut vocalem debilitatam exprimit, cfr ἀνδρεφόνος cet. G. Meyer, Gramm.[3] 63 sq.

Δώρκωνος (pro Δόρκ.) I 353, at Δέρκωνος AM 21 n:o 44; Δερκυλίδα Dumont 88 n:o 89[2] sed Δορκυλίδα I 1123 (quinquies), Ἀθην. n:o 83, 1—4 et aliis locis (cfr Δορκύλου I 46[192]). Cum his formis gemellis, ad quas efficendas analogia δέρκομαι : δέδορκα valere potuit, conferas Att. Δέρκων, Δερκύλος, Δερκυλίδης, Messen. Δόρκων, Δορκωνίδας, Boeot. Δορκύλος alia, Bechtel Person.[2] 93. — Num ὀγδόσιος pro ἐγδόσιος I 937[11] plus quam erratum lapicidæ habendum sit, in medio relinquo.

[1] Amphora præbet ΙΠΠΕΔΑΛ, quod etiam ex Ἱππεδάμου Δαλίου decurtatum esse potest.

[2] Gelder Δορκυλίδα conicit.

Latinas vocales has ο reddit:

1. ŏ : Κορνήλιον I 48[1, 3] (primi a. Chr. sæculi), Πομπηΐου I 647[5] (recens), Ποπλικόλα I 643[2], Ποπαίαν 39[1] (primi p. Chr. n. sæculi), Ποππηΐας I 647[3].

2. ŭ : Ποπλίου I 644[1], Πόπλιον I 92[2] (ævi imperatorum).

§ 6. ω.

Vocalem ω, quæ antiquitus aperto sono certe pronuntiabatur, iam altero et primo a. Chr. n. sæculo in sermone clausam fuisse ου pro ω scripto concluseris: Ἀγλουχόρου I 46[101] (primi a. Chr. sæculi; contra in eiusdem tituli versu 135: Ἀγλώχαρτος ex Ἀγλαο-, cfr G. Meyer, Gramm.[3] 205 et infra § 19)[1], I 817 b Ἀγλούχ... (eiusdem fere ætatis). Et certe in titulo sepulcri I 332 Ἀγ[λο]υρρόδη, non Ἀγαθυρρόδη legendum est. Nec raro in amphoris ου pro ω: Ἀγλουμβρότου IP 803, J. Ph. X 5 n:o 2 et quinquies, Ἀγλουκρίτου I 1068 bis. Cfr Κλευνόμου pro Κλεωνόμου § 19 et in titulis Teliis Τιμοκρηῦν IGI III 34[25] et Ἑρμοκρηῦν ibd.[27, 28].

Nescio, quomodo aliter explicari possit θαλλῶι pro θαλλοῦ in duobus sepulcris I 160, 161[6, 7], quod idem titulus recentissimus BCH 10, 261 n:o 7 (in Peræa) præbet, nisi ut ι suppresso terminationes ου et ω(ι) a lapidario confusæ sint, qua ex re concludas ω ex ωι ortum in sermone clausum sonuisse[2].

De ω contractione et productione orto conferas §§ 19 et 21.

Ubi ο pro ω exstat, inspice § 22.

---

[1] Bechtel, Person.[2] 42 sq., BB 21, 227 Ἀγλου- loco Ἀγλο- exstare putat, quod tamen incertissimum videtur. Ἀγλο- enim, quantum scio, non nisi in titulis duobus Theræis reperitur IGI III 475[5] Ἀγλοφάνους, ubi vocalis ex ω posteriorum temporum more correpta esse potest, et ibd. 494, ubi lectio incerta est. Apud Rhodios Ἀγλο- nusquam occurrit. Ἀγλοχαρεῖνος enim, quod Ross Arch. Aufs. 2, 613 n:o 23[2] (= I 854) legit, Selivanovio auctore legendum est κατὰ θ(υγατροποίαν) Χαρείνου.

[2] Cfr in excerpto Rhodii decreti GDI 3751[2, 6] τοῦ pro τῶι, Εὐδήμου pro Εὐδήμωι (ineunte altero a. Chr. sæculo).

§ 7. ῐ.

ῐ > ῑ.

Ut in ceteris Doriensium dialectis aliisque ita etiam in sermone Rhodiorum ῐ in ῑ in connexa serie sonorum ιγν per *ivn* transiit: γίνωνται I 761[39], ἐπιγινομένοις ibd.[46], γίνεται I 155[25], γινέσθω GDI 3749[31], γείνεσθαι I 762 A[13], γείνηται 3[6, 14]. (Brugmann Gramm.[3] 107, 130, G. Meyer Gramm.[3] 364, Meisterhans[3] 75, 177).

ι : υ.

In nominibus nonnullis ι interdum in υ transiit. Mensis nomen Πεδαγείτνιος vel Πεταγείτνιος (Att. Μεταγειτνιών) I 1104, 1152: 10, 1159: 6 (et alias) etiam in -υος exit: Πεταγειτνύου AM 20 n:o 5[5] (littera Neronis), Mel. I n:o 111. Πεταγε(ι)τνύ[ου] ISI 2393: 157, Πεδ(α)γειτνύου IP 1226; Πεδαγειτνύου IP 1048, 1243, I 1080: 2, ISI 2393: 283, 440, AM 21 p. 131 n:o 14, p. 57 n:o 8, Ἀθην. n:o 69, Mel. I n:o 44, J. Ph. V n:o 8, CIG III præf. n:o 180, Π[εδα?]γιτνύου ISI 2393: 502. Neque apud Rhodios solum sed etiam apud Coos et Calymnios -υος reperitur: Πεταγειτνύου PH 36 b[22] c[18] (Co), GDI 3593[93], 3601[1] (Cal.).

Apparet υ cum ι alternare non potuisse nisi in sermone vocalis illa fere *ü* non *u* valuisset. Tum analogia exitus -υου in mense Διοσθύου υ existere potuit. Adiuvit fortasse Ὑ]ακινθύου ISI 2393: 545, ubi loco posteriore υ assimilatione irrepsit (cfr in alio vasculo Rhod. Ὑακυνθίου Mel. I n:o 115).

Eandem mutationem habemus in Πυσίδας elogii I 879 loco Πισίδας et Ἀρταμυτίο in amphora ISI 2393: 252 (cfr Ἀρτάμυτι in titulo Argivo GDI 3335), μυκρόν I 916[7] (ætatis Christianæ), ubi tamen propter antecedentem labialem ι in υ mutari potuit (cfr G. Meyer, Gramm.[3] 145). Confirmata non est lectio Φασηλίτυ[δος in fine tituli mutilati I 384.

Cognomen Apollinis Ἐρεθίμιος (p. 31) vix aliud est, quam quod Hesychius ex dialecto Lycia affert: Ἐρεθύμιος, atque aut e θυμός, aut e θύμον, *thymum*, ducendum sit, ut

significet fortissimus[1], aut qui thymo coronatur[2]. Alia forma apud Strabonem, Geogr. XIII § 613 C occurrit Ἐρυθίβιος fortasse ex *Ἐριθόβιος.

Utrum ι in verbo περιβολιβῶσαι I 694[10], cfr Delph. Epidaur. βόλιμος GDI 2502[25], 3325[275], quod etiam Syracusanum erat (Etymol. Magn. 24, 39), ep. μόλιβος, an υ in Att. μόλυβδος, communis linguæ μόλυβος[3] primigenium fuerit, veriloquio vocis obscuro diiudicari non potest.

§ 8. υ.

Vetustioribus temporibus quomodo υ sonuerit, certa indicia exstant nulla. Quin recentiore ætate fere *ü* valuerit, dubium vix esse potest considerata vicissitudine υ et ι in Πεδαγειτνύου, Πεδαγειτνίου, Ὑακυνθίου, Ὑακινθύου (§ 7). In nummo Rhodio, si recte legit Mionnet (III p. 423 n:o 228), exstat Εὐτίχης pro Εὐτύχης[4]. Amphora Siciliæ reperta ISI 2393: 72 præbet Ἀμίντας pro Ἀμύντας; in alia amphora Δορκιλίδα loco Δορκυλίδα IP 1010. Accedit quod in amphoris interdum ε vel η pro υ occurrit: Διοσθέου loco -θύου I 1095: 10, IP 771. 783, 1212 et in nota mercatoris I 1346: 7; Διοσσθήου Ἀθην. n:o 2. Iam ante dictum est et ε et η recentioribus temporibus sonis clausis ad *i* appropinquantibus appellata esse (cfr §§ 3, 4). Quam ob causam ε, η, υ facile commutari poterant (cfr Πεδαγειτνίου, -ύου). — Facere non possum, quin hoc loco commemorem ἐπ' ἱερέως Ξυνοφάνευς in amphoris duabus IP 1159, Mel. I n:o 84 b pro vulgari ἐπ' ἱερέως Ξενοφάνευς ibd. c[5].

Hæc alternatio vocalium (ε, ι, υ) etiam vicinis locis Asiæ exstat, cfr Schweizer p. 76; in papyris η pro υ inter-

[1] Cfr ἐρίθυμος Qu. Smyrn. 1, 742.

[2] Cfr Hesych. Ἐρίφυλλον τὸν Ἀπόλλωνα καὶ τὸν Ἑρμῆ.

[3] Cfr Moeris s. v.

[4] Cfr in nummo Astypalæensi Ἀστιπα.., id est Ἀστιπαλαιέων Mionn. III p. 400 n:o 2.

[5] Cum ξυνο- compositum vix esse potest. Composita enim eiusmodi aliunde cognita non sunt.

dum tertio sæculo reperitur, cfr Mayser, Gramm. der griech. Papyri, Progr. Heilbronn 1898 p. 11 sq.: ἐρόμων pro ἐρήμων, λοιπόν pro λοιπήν cet.

υ pro ο.

Demoticum Ρογκίδας I 177 (alterius a. Chr. sæculi), cfr nomen pagi Ρογκ[ό?]ω[ι I 736[4] ("tertii sæculi"), in elogio I 178 primi a. Chr. sæculi scribitur Ρυγχίδας, quod haud scio an veriloquio populari analogia vocis ῥύγχος fictum non Græcæ originis sit.

Ad prograeca tempora υ in nominibus cum ὄνομα compositis redit. Hac in re dialectus Rhodia a ceteris non discrepat: Ἱερωνύμου I 345, 46[427], Ὀνύ[μ]ων I 925[22], Κλεωνύμου I 890[22], Κλεώνυμος I 924[13, 19] alia; Brugmann, Gramm.[3] 30, G. Meyer, Gramm.[3] 114 sq. — Idem valet de πρυ- in πρυτανεύσαντα I 43[24], 56[4], πρυτανείας I 52[2], πρύτανιν I 53[2] cet. cum Aeol. forma πρότανις (Hoffmann Dial. II 363) et prep. πρό collatis. Quamquam de veriloquio vocabuli πρύτανις derivatorumque nihil certi constat[1], tamen πρυ- ad prograecam formam *pru-* esse referendum videtur (cfr Got. *fru-ma, fru-mists* : *frau-ja*).

Quomodo πανάγυρις I 730[22] et bis (Ion. πανήγυρις, collatis ἀγυρμός, ἀγύρτης) cum ἀγορά cohæreat, non liquet.

II. Diphthongi.

§ 9. αι.

Diphthongi naturam usque ad recentissima tempora servatam esse ex titulis apparet. Sero enim ε pro αι exstat: ἐλέην loco ἐλαίην in epigrammate tertio p. Chr. n. sæculo non vetustiore I 783[10], sed ἐλαίαις I 781[3] (eiusdem ætatis). Ad ævum Christianum pertinent κὲ (= καὶ)

[1] Cfr Hoffmann l. l., Prellwitz Etym. W. 265, Brugmann Gramm.[3] 190, 211 sq.

I 920, κῖτε (= κεῖται), [κα]τάκιτε (= κατάκειται) I 921. Tituli dialecto communi omnino compositi sunt. — Nomen mercatoris Ἀφεστίου I 1269 fortasse, ut Hiller putat, ex Ἀφαιστίου corruptum est.

In amphoris interdum pars posterior diphthongi ante consonam tollitur: Ἀ(ι)νησιδάμου I 1071: 2, 5, 6, IP 840, Ἀ(ι)νησι[δά]μου IP 829, Ἀ(ι)νήτορος J. Ph. V n:o 8, Θευδα(ι)σίου I 1131: 5, CIG III 5523, Φιλα(ι)νίου Mel. I n:o 111, I 1406: 7 [1], Δ]αμα(ι)νέ[τ]ου ISI 2393: 188; cfr Φάσκος I 1403: 2 cum Φαΐσκος ibd. 1. — In dubitatione vix hæreas, quin scriptura minus accurata figulorum ι his locis omissum non sit. Immo in promptu est putare in populari sermone partem posteriorem diphthongi evanuisse. Conferas in vasculis Atticis hέφαστος bis pro Ἥφαιστος, Kretschmer, Vasen. 126 sq.

ἀεί, forma linguæ communis [2] est: I 891^{2} (tertio a. Chr. sæc. non recentior), 155$^{17, 33}$ et octies, 156^{2} (alterius sæculi) I 762 A^{16}, 849^{12}. Longum α in elogio I 144^{5}, at in alio elogio versibus composito I 75 a^{2} (primi a. Chr. n. sæculi) breve est: αὐτὸς ἀ]ειμνάστων, quocum Homeri (M 211) formam ἀεὶ brevi α conferas.

Ante ε et η pars posterior diphthongi ut in dialecto Attica [3] evanuit: Ἐριναέ(ως) I 732^{10} (altero a. Chr. n. sæculo non vetustior), Ἐρειναῇ I 839^{3}, Ἐρειναέως ibd.^{37} (recens), cfr Ἐριναΐς I 197. αι autem exstat in Ἐριναιέως I 196, 198 (primi a. Chr. sæculi).

αι : ει.

Particula αἰ, quam genuinam Doricam testantur grammatici antiqui [4], in decreto solo Camir. tertio a. Chr. n. sæculo non recentiore I 694$^{5, 19}$ legitur. — Iam quarto sæculo εἰ ex Attica vel Ionica lingua irrepsit: I 677^{30}, GDI 4259^{7} (intra annos 377 et 353), GDI 3749$^{12, 15}$ et decies octies

---

[1] At Φιλαινίου ibd. sexies.

[2] Cfr Meisterhans^{3} 31.

[3] Meisterhans^{3} 31 sq.

[4] Ahrens, Dial. Dor. 185 annot. 3.

(anno 220), in elogio I 155^{93} (alterius a. Chr. n. sæc.), BM III 441^{88} (eiusdem ætatis), I 762 A^{19}.

§ 10. ει.

1. Iam in titulis a quarto tertioque sæculis diphthongo ει sonos eos signabant, qui ex contractione vel productione evaserant (§§ 19, 21), ex quibus rebus concludas diphthongum iam tum in monophthongum (ẹ̄) abisse (Brugmann, Gr.[3] 47; G. Meyer, Gramm.[3] 125 sq.). Circiter annum 200 a. Chr. ει (= ẹ̄) eadem fere natura ac vocalem ι fuisse inde colligi potest, quod in elogio eius temporis, AM 25 n:o 106^{4}, loco Ἁλίεια incisum est Ἅλεια. Idem titulus etiam præbet στεφανωθῖσαν cum στεφανωθεῖσαν. Inscriptio statuæ I $75\,b^{10}$ circ. a. 100 a. Chr. habet θῖον pro θεῖον, quod legendum est etiam in statua I 107^{18}: θῖ[ον (ineunte primo sæculo)[1].

2. A primo sæculo sæpissime ει pro ι occurrit, ex quibus exemplis multis perhibeo: Ἀφροδεισίου I 356, σείτησιν I 849^{8}, 853^{9}, ἐτείμασαν I 850^{1}, Καμείρωι I $701^{6,11}$.

3. ε(η) pro ει.

Ἀργέος I 180 (elogium primi sæculi), Ἁλίεα I 730^{17} (iuxta Ἁλίεια sexies; primi sæculi). In amphoris altero sæculo non recentioribus: Καρνέου IP 772, 1075, 1107, 1128, I 1066: 5; Mel. I n:o 112, ISI 2393: 88, J. PH. X 212 n:o 19. Videtur hac scriptura sonus satis clausus ($ẹ̄^{i}$) significari (cfr in duabus amphoris eodem eponymo IP 1128, 1129 Καρνέου et Καρνίου. — Ante consonas: Τεσαγόρα IP 1192 (cfr Τισα[γό]ρα IP 1205), Ἀριστογέτου ISI 2393: 110, 111, CIG 5751: 6, Ἐρηναίου I 1124, Πεδαγετνόου ISI 2393: 157, CIG 5619. — Semel η pro ει in Πεδαγητνόου ISI 2393: 148.

4. αι pro ει in amphoris: Ἀρισταίδα I 1091, Εὐκλαίδα I 1301 vix nisi errata figulorum sunt.

5. Non aliter atque apud Atticos[2] ει pro ηι exstat in titulis recentissimæ ætatis: Ποντωρεῖς I 750, Ποντωρεῖδος I 175^{4} (ε ex η correctum), alias Ποντωρηΐδος I 173, 176.

[1] Cfr GDI 3819.

[2] Meisterhans[3] 36 sq.

§ 11. οι.

Primo p. Chr. n. sæculo diphthongum clausam appellatam esse eo apparet, quod hoc tempore οι pro υ exstat (Blass, Ausspr.[3] 69 sq.). In catalogo I 4, qui ad tempora Flaviorum pertinet, undecies Μοιωνίδης est; idem etiam in titulo 8[5]; Μοιώνιδος recentissimus tit. I 779[3] præbet. Forma vetustior Μυωνίδης I 72 b quater legitur. Ad ævum Christianum pertinet κυμίσεος (= κοιμήσεως) I 920. Cfr Meisterhans[3] 58 sq., G. Meyer Gramm.[3] 185, Schweizer 80.

ο : οι.

In dialectis Attica et communi partem posteriorem diphthongi ante vocales ε et η evanuisse constat (Meisterhans[3] 56 sq., G. Meyer Gramm.[3] 227, Blass, Ausspr.[3] 52). Quod nisi in titulo Rhodi non inciso CIG 3656[6]: ἐποήσαντο reperitur. In titulis vero Rhodi factis semper οι. In subscriptionibus enim statuarum ἐποίησαν vel ἐποίησε quadragies et bis exstant, ποίησα I 737, ποιήσηι I 677[28], ποιήσασθαι GDI 3749[6], cet.

§ 12. υι.

Semper ι servatum est in voce υἱός, ut υἱοῦ I 11[13] υἱόν 65[5], 72 a[3, 7, 9] et sæpe alias. Contra ι semper abest in formula καθ' ὑοθεσίαν, ut GDI 3749[102], I 72 a[4], 107[4, 9], 42[6, 10], 44[2], 49[6, 10] (et ter) 50[19], 814[2], BM III 403[1] aliisque locis multis, et in ὀργυᾶν I 736[7, 8] („tertii a. Chr. sæculi"; cfr Meisterhans[3] 59), Ἐλειθύευς I 933[3] (eiusdem ætatis). Formam femininam Ἐλειθυάς præbet titulus in Perea Rhodia repertus BCH 10, 258 n:o 5. Cfr epicam formam Εἰλείθυια et in vasculis Atticis Ἰλείθυα, Ἐλείθυα et Ἰλίθυα Kretschmer, Vasen. 158 sq.

In ὅπυς laminæ mercatoris Dodonæ repertæ, quæ propter dialectum aut ad Rhodum aut ad colonias eius referenda est, GDI 1568[2], collato υἷς IGA 482 a (Abu-Simb.), -υς ex -υις ortum existimandum est (cfr. Sophr. πῦς, Arg.

ῳς cet. G. Meyer, Gramm.[3] 202 sq., Brugmann, Gramm.[3] 49, J. Schmidt KZ 32, 394 sq.). De ῳι : ῳ cfr præter laudatos Schweizer 84 sq.

De diphthongis ᾱι, ηι, ωι.

§ 13. ᾱι.

Primum α pro ᾱι reperitur in foedere Hierapytniorum anno 220 factum GDI 3749: λαστήρια[52], λαστάς[53], λασταί[56], λαστάς[79], λαστηρίου[80]. In terminatione dat. sg. semper αι exstat: ἀγαθᾶι τύχαι[1], τᾶι[2] et novies, Κρήται[51]. Monendum tamen est lectionem huius tituli iis in rebus parum certam esse. Ceterum nusquam ante primum sæculum a. Chr. n. ι evanuit. In stirpe: Σαμοθράικαι I 788[8] (altero fere sæc.), Σαμοθραικιαστᾶν I 43[9] et bis (primi sæculi), Θράισσας I 545 (apices). Contra Σαμοθρακιαστᾶν I 43[18] (ineunte primo a. Chr. n. sæculo), Σα]μ[ο]θράκ[ων I 8[7] (primi post. Chr. n. sæc.), Ἀρισ]τολάδας I 46[131] (priore parte primi a. Chr. sæculi), Θρᾶξ I 877 (elogium servi primo a. Chr. sæc. non vetustius).

In terminationibus: τᾶ ἐκλησία I 3[1] (populiscitum Rhod. primo a. Chr. sæculo non vetustius), ἐστάλα ibd.[11] (in eodem titulo autem terminatio ωι interdum remansit) item in I 701[4] (primi sæculi) ἐν τᾶ νάσσωι, I 850 (circiter Chr. n.) χαλκέα[6], αὐτᾶ[6] sed χρησέωι στεφάνωι[5]. In decreto Agrig. ISI 954: ἀγαθᾶ τύχα[8] sed μουνι]κιπίωι[6].

§ 14. ηι.

In coniunctivis μεταλλάξη I 155[39], ἀδικῆ ibd.[94], περ[ιο]ρῆ BM III 441[89] (alterius a. Chr. n. sæculi), ἱερατεύη I 3[5], λάχη ἄγη ibd.[9, 11], ᾖ ISI 952[20, 26] (Agrig.; ante a. 210) vetus terminatio -η (< -ητ cfr Sscr. *bhárāt*) latere potest (Brugmann, Gramm.[3] 349); alias tituli vetustiores semper ηι præbent: ἔχηι I 694[11], ἀναγραφῆι I 677[8], ποιήσηι, ἐσβάληι ibd.[28, 31], δόξηι BM III 441[12], ἧι 761[46], τεθῆι ibd.[49]. Tituli omnes ante a. 200 sunt.

Altero tamen sæculo ι disparuit in χρήζωντι I 155[94]; recentius est χρήζων I 762 B[14].

§ 15. ωι.

In titulis vetustioribus οι: Ἀντιφάμοι Notiz. 1900, 274, Γελόιον IGA 513. Postea ωι: Γελώιων ISI 256[30] Γελῶιος ibd.[42] (Gelæ); Π]ρωιρεύς GDI 4335[9], πρωιρατεύων AM 20 n:o 1[2] (tertio sæculo), Τλῶιος Τλωία I 309—316 (primo sæculo non recentiores), ἡ]ρώιων 845[21] (primo sæculo) Ἡρώιδας AM 23 n:o 99, I 112[3], 329.

Primo a. Chr. n. sæculo ι iam scriptum est, iam non: I 3 (decret. Rhod.): δάμωι, τῶι, Ἀρταμιτίωι iuxta ἑκάστω; I 849 (statua): ἐπαίνωι, χρυσέωι at αὐτῶ; I 43 (statua): χρυσέωι στεφάνωι[5] cet., iuxta πρωρατεύσαντα[20].

Ut omnia de dipthongis ᾱι, ηι, ωι, breviter comprehendam, titulo GDI 3749 omisso, ubi lectiones certæ non sunt, ante alterum sæculum a. Chr. n. nulla exempla repeririuntur, ubi ι disparuit. Altero sæculo in dipthongo ηι, deinde in αι et ωι evanuit. A medio primo post Chr. n. sæculo numquam[1] nisi in titulo I 789 apparet, ubi arte redintegratum est.

§ 16. αυ.

Ut in dialecto Attica (Meisterhans[3] 61) pars posterior diphthongi evanuit in ἑατῶ[ν] I 38 (Augusti vel Tiberii ætate)[2]. Eiusmodi exempla aliunde hausta collegit Wackernagel, KZ 33, 5 sq., Schweizer 91; cfr præterea G. Meyer, Gramm.[3] 191 sq. — Νασικράτευς Hiller loco Ναυσικράτευς in amphora I 1167 sumit[3] (cfr § 17, 2).

Latinum *au* αυ exprimitur: Αὖλος I 48[9], Αὐρηλία I 654[1], Αὐρήλιος I 650[1], Κλαύδιος Αὐρηλιανός I 83[2]. — Latinæ linguæ vulgaris *ō* pro *au* redditur ω: Πλωτεῖνα I 807.

[1] Ut in titulis publicis I, 2, 58, 76, 786 aliisque videre licet.

[2] Cfr in titulo Regino partim Latine inciso ISI 626: ἀτοῖς.

[3] Gelder GDI 4245: 549 coniecit Ἰασικράτευς; cfr ἐπὶ Κασικράτες ISI 2393: 332 b, fortasse pro Νασικράτευς.

§ 17. ευ.

1. Postquam in sermone vocalis ο tam clausa appellata est, ut *u* fere sonaret, ε + ο diphthongo ευ reddebant (exempla vide infra sub contractione § 19), quæ fere eodem modo ac genuina sonuerit (*e* + *u*). Neque aliud valet in amphoris scriptura εου, ut Θεουδώρου Ἀθην. n:o 103.

In amphoris ευ pro εω exstat: Κλευνόμου IP 1097, 1098, (ἐπὶ) Μενεσθεῦς I 1165, 1351: 2, 3, cfr ibd. 1, quod Schweizer 71 ita explicat, ut in lingua vulgari aut εω abbreviatum sit aut assimilatione cum Κλεο- facta exstiterit. Rem ita explicare necesse non est. Nam in sermone vulgari ω clausum sonabat, ut apparet scriptura Ἀγλουμβρότου. cet. (§ 6).

2. ε pro ευ reperitur in Πολύεκτος I 925[1] (quarti fere sæculi), quod vulgo pro Πολύευκτος sumunt. Si ita est, ad Coum Ε(ὐ)φαντίδας PH 10 a[50, 63] (tertii sæculi exeuntis) et Ε(ὐ)στράτου in amphoris Cnidiis Dumont p. 179 n:o 227, p. 193 n:o 305, p. 282 n:o 61, p. 295 n:o 149, Att. Ἔβολος, Ἐκράτης cet. applicandum, de quibus Kretschmer Vasen. 137 sq.; alia exempla G. Meyer, Gramm.[3] 192, Blass, Ausspr.[3] 78 afferunt.

Vix aliter intelligendi sint genitivi Εὐκλές pro Εὐκλεῦς in elogio I 347[6], ἐπὶ Ἀρχοκράτης I 1111: 8, ἐπὶ Πρατοφάνες I 1183, cum gen. sg. -ευς in sermone vix multo ab diphthongo genuina discrepaverit. — Hæc omnia mendis ab iis factis, qui titulos inararent, orta esse Wackernagel KZ 33, 4 existimat. Tamen, ut iam monuit Kretschmer l. l. 138 exempla plura sunt, quam ut hoc modo expediri possint. Kretschmer autem dubitans quidem sententiam proposuit in nominibus cum ευ compositis diphthongum partem posteriorem prius ante vocales amisisse, quod deinde analogia ante consonas factum esset. Quod quidem in vocibus cum εὐ compositis cogitari potest, sed cum in vocibus alio modo conformatis idem factum sit, sententia Kretschmeri versimilis non videtur. — Potius his scripturis appellatio minus accurata linguæ quotidianæ videtur subesse. Si quis enim com-

moditatis causa in altera parte diphthongi dicenda labra immobilia facit, fit facile, ut ea pars aut leviter aut fere nihil audiatur. Quod idem in diphthongo α(υ) factum esse potest (cfr supra § 16). Ac generatim in sermone populari observare licet posteriorem partem diphthongorum languore quodam dictam esse, ut nonnumquam proprio signo non notaretur; cfr in amphoris α pro αι § 9.

3. Pro vocali latina *ū* exstat ευ in nominibus Latinis: Λευκίου I 48[1, 3, 7], Λεύκιον ibd. ter, Λεύκο[λλον] idb.[7] (ineunte primo sæculo); contra ου exstat I 91 a Λουκίου, b Λούκιον; Λουκίου I 643 (ævi imperatorum); cfr Schweizer 84. Quam ob rem Latinum *ū* Græci ευ reddiderint, non satis liquet. Dittenberger Hermes 6, 310 sq., coniecit, nomen a Græcis cum adiectivo λευκός copulatum inde ευ accepisse. Aliter Eckinger, Die Orthographie lateinischer Wörter auf griechischen Inschriften 69 sq.

§ 18. ου.

A quarto sæculo diphthongo ου eos sonos signabant, qui e contractione aut productione vocalis ο brevis evaserant: λίθου λαρτ[ί]ου I 677[7], λόφουρον ibd.[23], τοὺς ibd.[6], cet., Λυσιστράτο I 925[16] sed idem Λυσιστράτου I 764[44] (ineuntis tertii sæculi), ex qua re concludas iam tum diphthongum in monopthongum (*ū*) abisse; G. Meyer, Gramm.[3] 134 sq.

Pro diphthongo genuina ου inscriptiones nonnullæ quarti et tertii sæculorum ο præbere videntur: Βοκοπίοις I 792, 794, 795, sed Βουκόπια, Βουκοπίοις I 798—801, Βουκολείων I 695[32] (tertio sæculo non recentior), Βουκολίδαι ibd.[30—32] (cfr Βωλαιο[νίδ]αι ibd.[41]). Si vere diphthongus in Βοκόπια est, ut esse videtur [1], ad Thas. βοκολῆι, Chi. τõτο applicandum est (cfr G. Meyer l. l.), et scriptura ο significatur ου in sermone tum monophthongum fuisse.

[1] Cfr in dialecto Boeotica Βουκάττεις, Βουκάττιος diphthongo genuina, Meister, Dial. I 231.

Diphthongum genuinam in voce δοῦλ[ος I 1[4], δούλων I 31[2] (ineunte fere primo a. Chr. sæculo) fuisse dialecto Boeotica colligi potest (Meister, Dial. I 231). Quomodo autem cum Dorica forma δῶλος apud Theocritum (iuxta δοῦλος) et apud Callimachum tradita et in lege Gortynia exstante cohæreat, explicatum non est (cfr G. Meyer, Gramm.[3] 171 sq.).

Quod idem valet de οὖν I 155[8] (alterius a. Chr. sæculi), ὁστισοῦν GDI 3749[64] (tertii sæculi) comparato Dor., Ion. cet. ὦν (cfr Brugmann, Gramm.[3] 549 sq.). In titulis Rhodiis οὖν e communi lingua asscitum esse potest.

ου exstat pro Latinis vocalibus:

1. *ū*: Ἰούλιος I 4 I[40], cet. (medio primo p. Chr. sæculo), Μουρήν[αν] I 48[5] (82—74 a. Chr.), Λούκιος (cfr § 17), Ῥοῦφ[ον I 84[1] (primi post Chr. sæculi), Βετουτίας I 645[1].

2. *u*(*v*): Οὐάρρων[α I 48[9] (priore parte primi a. Chr. sæculi), Φλάουιον I 58[6], Οὐεσπανιανόν ibd.[6] (ætatis Flavior.): at Φλαύιον I 65[2]. (Cfr Schweizer, 71 sq.).

De ου pro ο (= *ŭ*) et ω (= *ū*) vide § 5, 6. De ου contractione aut productione orto cfr § 19, 21.

§ 19. De contractione vocalium.

A. Vocales similes sunt.

1. *a* + α: Nomen poetæ Rhodii Ἀγορᾶναξ ᾱ compagis longo exstat apud Callimachum 28 VII, 311 (⏑ ⏑ – –), quo contractionem subesse (*Ἀγορα-ϝάναξ) apparet. Num in aliis nominibus cum ἄναξ compositis, ut Τιμάναξ I 46[156] et sæpe alias, Τιμάνασσα I 158[4], contractio lateat, non liquet. Digammo enim apud Rhodios sublato compositione iterum facta facile α membri prioris ante vocalem elidi potuit, ita ut ex Τιμ-αναξ conformata sint[1].

Contractio subest etiam in ἀνᾶλωμα (< *ἀναϝαλωμα) I 761[48], ἀναλώμασι I 9[8].

[1] Brugmann, Gramm.[3] 62 comparato Cypr. Τιμοϝάναξ, α ex οα contractum sumit.

γᾶ : γαῖα.

Antiquitus contractum est vocabulum γᾶ (ex *γαα), quod cum in sermone pedestri: γᾶς I 736[4], γᾶν GDI 3749[54], Γᾶν GDI 4259[1] (foedus Phaselit.), tum in epigrammatis: γᾶ I 150[2], γᾶν I 147[2] exstat. Epica forma est epigrammatum γαῖα I 153[2], γαῖαν I 151[8], 783[3]. Brugmann, Gramm.[3] 61; G. Meyer, Gramm.[3] 197 sq.

Ἀθάνα : Ἀθαναία.

Incertum est, num in nomine Minervæ Ἀθάνα contractum sit. Præter hanc Rhodii et alia forma Ἀθαναία, promiscue utebantur: Ἀθάνας I 694[10] et duodevicies, Ἀθαναίας, ibd.[3] et sexies, Ἀθάναι I 824 et undecies, Ἀθαναίαι I 809[2] et sexies, nullo discrimine ut videtur. Media forma Ἀθανάα nusquam in titulis exstat. Newton BM II p. 127, cum formam Ἀθανα contractione ex Ἀθαναια ortam existimet (cfr Att. Ἀθηνᾶ), accentu circumflexo Ἀθανᾶ scribit. Sed ut Ἀθάνα optime formæ epicæ Ἀθήνη, ita Ἀθαναία formæ Ἀθηναίη respondere potest.

Contractio facta non est in Λαάγου epigrammatis I 144[2] (cfr Gelder GDI p. 473).

2. ε + ε.

A. Vocales non coaluerunt apud Agrigentinos in: πρέσβεες ISI 952[11] (cfr Cret. Πριανσέες CIG 2556[46]; Ahrens, Dial. Dor. 237).

B. Ceterum semper vocales confluxerunt et quidem in a) ει: 1) in flexione nominum apud Rhodios: τρεῖς I 677[7] (quarti sæculi), 694[6], Ἰασεῖς BM III 441[4, 16] (circ. annum 200), Ἀμφινεῖς I 695[46], τριήρεις GDI 3749[70] (anno 220), Πριανεῖς BM III 403[10] (et sæpius; ineunte altero sæculo); 2) in verbis contractis: διατελεῖ I 867[4], ἀμφεσβάτει BM III 403[99], καλεῖται BM III 403[9, 23, 26], ποιείσθων, ποιείσθωσαν I 155[22, 29, 70]; κακοποιεῖν BM III 403[111], εὐεργετεῖν ISI 952[21] (Agrig.); 3) in futuro: ἀποστ]ασεῖται BM III 441[26], ἀποσ[τα]σεῖται ibd.[87] cet.; 4) in augmento: εἶπε I 677[2], 155[2] et alias, μετεῖχον I 761[42]; 5) in nominibus cum κλειτο- (< κλεϝετο-) compositis (cfr Ἡράκλητος tab. Heracl. II[4, 8]): Κλειταινέτου AM 23 n:o 67,

Κλείταρχος I 373, Κλειτόμαχος I 1156, Κλείτωνος AM 21 p. 49 n:o 36, Ἡρακλείτου ISI 2393: 267; 6) in compositis Κλεισι- (< κλεϝεσι-): Κλεισίμβροτος I 764^{75} et alias, Κλεισί[ας? I 819^{18}, Κλεισίτιμος I 46^{320}.

b) Rarissime η: Ἡράκλητος patris nomen erat archontis Regini ISI 615. — In Εὐκλήσιος I 764^{9} (tertii sæculi ineuntis) Bechtel, BB 21, 228 partem alteram compositionis eandem esse ac Κλησι-, Κλεισι- (itaque ex -κλεϝεσιος contractam esse) censet.

In pronomine demonstrativo κήνου BM III 403^{126} (cfr in dial. Co. κήνου PH 37^{25}) contractio videtur inesse, cum vix ab Ion. Att. (ἐ)κεῖνος segregari possit, ubi ει diphthongum non esse inde apparet, quod tituli vetustiores Attici et Ionici littera E reddunt (Cauer, Curt. Stud. VIII 256, Smyth, Ion. dial. § 224, 15). Quam ob causam et κῆνος et (ἐ)κεῖνος ad formam non contractam *κεενος referenda sunt. (Brugmann, Grundriss 2, 141, Gramm.^{3} 242 sq., Prellwitz BB 15, 134; aliter de hac re Persson IF 2, 242, G. Meyer, Gramm. 523 sq.)[1].

Ad *Κλεενο- (≤ *Κλεϝεσνό-, Bacchyl. κλεεννός 5, 182, cfr Φαέννου I 263) referenda sunt nomina cum Κληνο-composita: Κληναγόρας I 346 (alterius fere sæculi), Κλήνωνος I 242 (bis), Κληνανδρίδας I 46^{334} (primi sæculi), Κληνοστράτου ibd.^{236}, Κληνοῦς Νισυρίας I 241, Κληνοστράτου I 1160, 1336, CIG IV 255 n:o 97, III p. X n:o 284, 285, 287, Ἀθην. n:o 116 (quater). Hoc loco η pro ει scriptum crederes, nisi etiam in dialectis vicinorum Doriensium reperiretur: Co: Κληναγόρας PH 368 VI^{26} (tertii a. Chr. sæculi), PH 10 c^{30} (eiusdem ætatis), Nisyri: Κληνώ IGI III, 122 (tertii fere sæculi), Teli: Κληνώ ibd. 79, Cnidi: Κληνόπολις GDI 3549$^{262, 263}$.

Quam ab causam η vetustius putandum est quam ει, quod exstat in Κλειναγόρα I 678^{6} (quarti fere sæculi exeuntis), 46^{438} (primi a. Chr. sæculi), Κλείνου I 49^{22}, Κλεινώ

[1] Cfr Solmsen, KZ 31, 475; Hoffmann-Krayer, KZ 34, 151.

I 142[6], ac more communis linguæ vel Ionicæ ea nomina ficta esse.

De hac vicissitudine ει et η vide § 21 a.

3. ο + ο.

Ubique ου exstat in titulis litteratura Ionica inaratis:

1) in gen. sg. ἐσόδου I 677[14], ἑκάστου προβάτου ibd.[33] (quarti a. Chr. sæculi), cet. Antiquius ο quarti sæculi ου (*u*) non ω erat: I 792 Εὐαράτο at παίδων; I 925: Ἀμβροσίο[3] Πολυάρατο[6] cet., at Ἀναξιφῶν[26] Εὔφρων[29].

2) in compage: φρούριον (< *προϝόριον) BM III 403[93] et sæpius (alterius a. Chr. sæculi).

3) in contractis verbis: δηλοῦντες GDI 3751[15], στεφανούντω I 155[89] (alterius a. Chr. sæculi).

4) δαμιουργοῦ I 696[1] (tertii a. Chr. sæc.) BM III 403[35], δαμιουργήσας I 705[1], 703, 704 (< *δαμιοϝοργ-?).

5) εὔνους ISI 612[2] (Reg., primi a. Chr. sæculi).

B. Vocales dissimiles sunt.

1. ᾱ + ε:

In ᾱ coaluerunt in voce ἅλιος (ex *σαϝέλιος cfr Bacchyl. ἀέλιος, Hesych. ἀβέλιον· ἥλιον Κρῆτες, Got. *sauil*): Ἁλίου I 65[4, 5], Ἁλίωι I 63[1, 2], 892[4], Ἁλιόδωρος I 46[149], Ἁλιαδᾶν Ἁλιαστᾶν I 155[14, 32]; Ἅλιον GDI 4259[1] (Phasel.). Ubi in nominibus Ἡλιάς I 108[2], Ἡλιόδωρος 48[16] (et alias) η exstat, e dialecto communi aut Ionica irrepsit.

In crasi: ἁπιδαμία = ἁ ἐπιδαμ[ία I 81[2].

2. ᾰ + ε:

Grammatici veteres docent eas vocales in η contrahi (Ahrens, Dial. Dor. 195). Apud Rhodios θοινῆται I 905[5]; cfr Co. τιμῆν GDI 3619[6], τιμῆ PH 14[11]; ἐνίκα autem I 125[11], imperat. ὅρα AM 21 n:o 11[1] communis linguæ sunt.

De coniunctivis συνίσταται GDI 3749[51], συστᾶ ibd.[35] cfr Brugmann, Gramm.[3] 335, G. Meyer, Gramm.[3] 654, Johansson, De derivatis verbis contractis 69.

3. ᾰ + η:

In η coierunt in coniunctivo περ[ιο]ρῆ BM III 441[89]; cfr in tit. Calymn. GDI 3591 a[49]: ἐπερωτῆι.

4. ᾱ + ο:

Genuina Dorica contractio erat ᾱ: a) Νακορείων I 701[12] (ex νᾱο-; Co. νακόρον PH 28[4]). Sæpissime in nominibus ex λαο- compositis: Λαφῶν I 764[82], Μενέλας in vasculo Euphorbi, Ἀναξίλας I 925[1], Φαινίλας I 72 b[10], Νικόλας I 536, Λαφείδευς IP 1121 et sæpe in amphoris, Λαδικέως I 542 (elogium) cet.

Hic ubique formæ non contractæ exstant: Κριτ[ό]λαος I 884[4] (tertii fere sæc.), Μενέλαος (Rhodius) in tit. Calymn. GDI 3566 a[4], cfr Ἀρχελάου I 18[6], Νικολάου I 46[163, 265] (primi a. Chr. sæculi); Λαομέδοντος Λαοδικέως I 442, Λαοδικεύς I 72 a[13], alia. Apertas formas analogia nominis simplicis λαός esse conformatas probabile est (Kretschmer, Vasen. 40 annot. 2).

b) Gen. sg. masc. nominum in -ας exeuntium: Ἀστυοχίδα I 720, Εὐτυ[τ]ίδα I 709, Διαγόρα GDI 3765 b aliaque multa exempla.

5. ᾰ + ο:

In ω coaluerunt: a) in nominibus cum Σω- (ex ΣαϜο-, Cypr. ΣαϜοκλέϜης)[1] compositis: Σωκράτης I 764[68] et alias, Σωκλεῦς I 765[6] et in aliis multis eiusmodi compositis; b) in nominibus cum Ἀγλω- compositis (ex ἈγλαϜο-): Ἀγλωκράτου I 4 II[57], Ἀγλώχαρτος I 596, 45[135] cet. Ἀγλωφ.. I 327; c) in verbis contractis: νικῶντα I 841 a[4].

6. ᾱ + ω:

In ᾱ confluxerunt: ἐπιστατᾶν I 761[1], ἱεροθυτᾶν ibd.[39], τᾶν εὐχᾶν γενομενᾶν GDI 3749[6], Φασηλ]ιτᾶν GDI 4259[6] et semper in gen. plur.; Ποσειδᾶν I 75 a[1] (epigr.), Ποτειδᾶνος I 705[22], 835[2], Ποτειδᾶνι I 905, Ποσειδᾶνι I 809[5].

[1] Cfr Schulze, Quæst. ep. 397 sq.; Bechtel, Person.[2] 257 sq.

7. ᾰ + ω:

ΝΙΚΟ in vasculo vetere Camirensi IGA 472 a (add.) Roehl l. l. verbum interpretatus est. Nihil tamen impedit, quominus nomen appellativum sit. — In nominibus cum -φων (< *φαϜων)[1] compositis: Ἀναξιφῶν I 925[26], Ἀριστοφῶν I 731[19], Θρασυφῶν I 762[12], cet.

8. ε + ᾱ (ᾱι):

a) Apertæ sunt: 1) in adiectivis materialibus: χαλκέαι I 680[3], 846[5], 847[4], 849[1] et alias; 2) in nominibus compositis: Νεαπολίτα I 447 a, Νεαπολίτιδο[ς ibd. b.; 3) in nominibus hypocoristicis, quæ in -εας cadunt: Δαμέας I 764[78, 81], Ἑτέα I 46[314], Ἀρχέας I 764[121], Αἰνέας ibd.[16], Αἰνέα I 107[18], Πεισέα I 925[7], alia.

b) In η contractum est. Formam Νεμῆι quinquies in titulo Doriei Olympionicæ Rhodii exstantem GDI 3765 c (quinto sæculo exeunte) Dittenberger ex *Νεμέαι ortam coniecit. — Χαλκῆ (ex *Χαλκέα) nomen insulæ scribendum esse docet Blass apud Kuehnerum, gramm. 1, 203. Χαλκῆς exstat in titulis Rhodiis I 694[1] (tertio sæculo non recentior)[2]; Χαλκῆταις ibd. (< *Χαλκεάταις; cfr in catalogis tributariis Atheniensium quinti sæculi CIA I 229—64 Χαλκεᾶται, quæ forma sententiam Blassii commendare videtur). Nomen Στρατῆς I 677[2] Blass idem (l. l.) ex Στρατέας contractum censet. Incertum tamen est, num et in hoc nomine et in Ἀριστῆς I 46[140] (primi ante Chr. n. sæculi), gen. Ἀριστῆ I 767[3] (tertii fere sæculi), 766[8], 19[13], 46[115] contractio subsit (< Ἀριστέας), ut putat Bechtel BB 21, 231, cum nomina hypocoristica omnino contracta non videntur (cfr supra); Ἀ]ριστέου exstare videtur I 46[108] (primi a. Chr. sæculi), cfr in titulo Coo PH 397 Ἀριστέα (ævi imperatorum). Fortasse η in his nominibus contractioni Ionicæ attribuendum et nomen secundum Ἀριστᾶς, gen. Ἀριστᾶ I 1088, 1246 flexum est.

[1] Bechtel, Person.[2] 284 sqq.

[2] Hiller Χάλκης scripsit; cfr I p. 158.

9. ε + ᾰ:

a) Interdum non coaluerunt: 1) in nominibus ἀργόρε[α (neutr.) I 77[9], κρέα Timocr. fr. 1, 10 (cfr in titulo Co. PH 37[23] κρέα, γ]ερεαφόρος ibd.[21]). 2) In compage nominium compositorum, ubi ϝ disparuit, vulgo contractum non est: Κλεανδρίδα I 761[20] (tertii sæculi), Κλεαγόρας I 761[30], Κλέαρχος I 226, 227 (< *Κλεϝανδρίδα *Κλεϝαγόρας,), Ἀγεάνακτος I 46[327] (primi a. Chr. n. sæculi, < *Ἀγεϝάναξ). 3) Νέ]μεα AM 21 n:o 9, I 78, 79.

b) Sæpissime in η coaluerunt: 1) acc. sg. λειόλη I 737 (vetustissimus titulus), πετρώδη BM III 403[159], τριήρ]η GDI 3749[72], Εὐάλκη BM III 403[121], Τιμακράτη I 41[1], cet. — 2) neutr. plur. ἔτη I 155[4, 83, 108], δαμο]τελῆ I 694[19]. — 3) In compositis Ἀρχήνασσα I 194, 945 (< *Ἀρχε-ϝάνασσα), Ἀγήναξ (Rhodius) in titulo Coo PH 49 a[4]; Κλήνακτ[ος in titulo I 49[49] (< *Κλεϝάνακτος; primi a. Chr. sæculi) legendum est (cfr Hiller AM 20, 382). Κλε[ά]νακτος autem I 7[7] in titulo serioris ætatis sine dubio ad exemplum communis linguæ fictum est.

10. ε + η:

Τιμοκλῆς I 764[41] (< *-κλεϝης), Καλλικλῆς I 764[111, 113] et sæpius, Διοκλῆς I 49[61] (Rhodi); Ἱπποκλῆς ISI 256[6] (Gelæ).

11. ε + ο:

Concurrentes vocales ε et ο ad quartum sæculum exiens integræ remanserunt. Pro quibus cum ab hoc tempore semper diphthongus ευ scriberetur, certe Rhodii hanc diphthongum non aliter habebant quam genuinam. Quam ob causam rem hoc loco tractandam existimavi.

1. In vetustioribus titulis Rhodiis εο: a) in nominibus cum Θεο- compositis Θεοδαίσια I 791 (quarto sæculo non recentior; cfr 804), Θεοδάμου I 678[2] (quarti fere sæculi exeuntis), Θεοκλῆς I 764[25, 26], Θεοφιλίδας ibd.[76]; b) in gen. sg. stirp. in -ες exeuntium: Ἀριστοκράτεος I 678[3], Κυδοφάνεος ibd.[7], Θεοκλέος I 764[25], Εὐμένεος ibd.[4], Τιμοκράτεος ibd.[10]. Tituli Gelenses et Agrigentini etiam primo sæculo formas

apertas præbent: Ἱπποκλέος ISI 265[6] (primi a. Chr. sæc.), Διοκλέος ISI 952[6] (bis), Θεόδωρος Θεοδώρου ibd.[12], Ἱπποσθένεος in decreto Molossorum GDI 4256[1]; c) in verbis: ἐόντες BM III 403[75], I 155[30], I 761[50], ἐόντων GDI 3749[20, 36, 58], ἀθρεόντω I 694[18]; προστατέοντος ISI 612[1] (Regii); d) adi. χρύσεον I 922[8].

2. Inde a tertio a. Chr. sæculo semper ευ pro εο scribitur.

a) In nominibus cum Θεο- Κλεο- compositis: Θευγένεος I 925[12] (quarti fere sæculi), Θευδαισίου I 905[1] (tertii fere sæc.), Θευγένης I 761[32] et novies, Θευκλῆς I 841 b[1], Θεύδιππος I 705[21] 1463, Θευδοσία I 560, Θεύδοτος I 845[25] et ter, Θεύδωρος I 47[5] et sæpissime, Θευκύδους I 765 B[1], Θεύλυτος 225 bis, Θευμένης I 47[10] et ter, Θευξενίδας I 46[199], Θεύπομπος I 256 et alias, Θεύπροπος I 46[291] et quinquies, Θευφάνης I 766[10], Θεύφαντος I 844[27], Θεύφιλος I 46[195], Κλευγένειο[ι I 695[49] (tertio sæculo non recentior), Κλευκράτης I 850[2] et sæpe, Κλευμένης I 46[313], Κλευπάτρα I 104 a[6], Κλευσθένης I 730[28] et sæpe, Κλεύστρατος I 844[31] et sæpius, Κλεύτιμος I 46[90] et semel, Κλευφάνης I 46[187], Κλευφῶν I 46[94], Κλεύχαρις I 106[1].

b) In gen. sg. nominum in -γένης, -κράτης, -μένης, -μήδης, -πείθης, -σθένης, -τέλης, -φάνης, -κλῆς, -κρίνης exeuntium, et in iis, quæ, cum consuetudine linguæ communis ex nominativo -ας in -ης mutarentur, secundum stirpes in -ες flectebantur. In magna copia exemplorum nonnulla referre satis est: Ἀριστογένευς I 761[28], Στρατοκλεῦς ibd.[18], Δαμοκράτευς ibd.[29], Σωκράτευς I 265 (quarto sæc. non recentior), Θευμένευς I 47[10], Θρασυμήδευς I 179, Διοπείθευς I 730[23], Ἀνδροσθένευς 761[9], Ἀριστοτέλευς I 46[120], Δωριφάνευς I 47[17], Διοκλεῦς[1] I 46[390], Δ]αμοκρίνευς I 46[75], Σαμιάδευς I 115[1], Βασιλείδευς I 201[1, 3], Ἀριδείκευς I 766[13, 14], Μυωνίδευς I 72 b[11, 13] Φαρνάκευς I 2[9]; neutr. in -ες: ὄρευς BM III 403[170].

c) In verbis: ποιεῦνται I 761[47], ποιεῦντα I 677[34], τελεύμενα I 694[11], αἱρεῦντ[αι I 891[9], ευο[ρ]κεῦντι GDI 3749[89],

[1] Διοκλέους autem I 65 (decretum Rhod. recentissimum), Ἰα]τροκλέους I 7[3] (recentiss.), communis linguæ est; cfr ibd. Ἀντιγένους.

χρεύμενος GDI 1568[3] (lamina Dodon.), κατοικεύντων I 762 Α[18]; ἐπιμεληθησεῦντι I 694[6], ἀποδωσεῦνται ibd.[7], θησεῦντι πωλησεῦντι I 3[2], παρακαλεῦντον GDI 3751[13], εὖντας CIG 3656[15].

3. Denique a tertio a. Chr. n. sæculo formæ ου contractæ exstant: BM III 403 (alterius a. Chr. n. sæculi) ἀμφισβατοῦντι[10], κρινοῦντι[11], ὁριξοῦντι[11], ἀποφανοῦνται[12], συλλυσοῦντι[12], ἐγκαλοῦντας[100, 128], ματυροῦντας[107], θεωροῦντες[118], ἐνεκάλουν[133], οἰκοῦντι[155]; I 155 (alterius a. Chr. sæculi) προα[ι]ρουμένοις[11], αἱρούμενοι[21, 71], στεφανούντω[89], ἐξαιρούμενον[71] et bis; BM 441 a (circ. a. 200) ποιούμενος[18]; I 762 A αἱρουμένοις[17]; I 736 („tertii sæc.") ποιούμενος[15]; GDI 3749 (anno 220 a. Chr.) ποιοῦντες[99], συνεργοῦντας[53], συνεργούντων[79] cet.; ISI 952 (ante a. 210): προαιρούμενος[21], προαγοροῦντος[5] (Agrig.). Hoc genus contractionis, cum in titulis interdum cum ευ commixtum reperiatur (cfr ἐπιορκοῦντι GDI 3749[20] at εὐορκεῦντι ibd.[89], αἱρουμένοις I 762 A[17] iuxta κατοικεύντων, γεωργεύντων ibd.[18], cet), e dialecto Attica fluxisse putandum est.

Quod ad contractionem εο > ευ factam attinet, Ahrens Dial. Dor. 214 ita disputat: „hæc ratio maxime est eorum Doriensium, qui in insulis ad Asiæ oram sitis habitabant Ionibus, qui eadem usi sunt, vicini . . . in ipsa Græcia vix recentissima Doris aliqua eius vestigia habet." Quam ob rem „contagio Iadis" eam effectam esse putat. Sed non solum in vicinitate Asiæ reperitur verum etiam in Boeot., Megar., Atticis titulis nec non in vetere Corinthio reperta est (G. Meyer, Gramm.[3] 190). Cogitari quidem potest hunc morem scribendi a Ionibus Dorienses vicinos adscivisse. Sed vix acceperunt, quam in dialectis ipsis ο tam clausum, ut εο fere ευ sonaret, factum est; quod num auctoritate Ionum perfectum sit, diiudicare non possumus.

4. In foedere Phaselitarum GDI 4259[5] pro ἐξαιρέοντες contractam formam invenimus ἐξαιρῶντες. Si recte se habet forma, ut habere videtur, eo tempore, cum apud Phaselitas contractio facta est, ο apertum sonabat.

12. ε + ω (ωι).

1) Plerumque contracta non sunt: a) in verbis: ἐργασθέωντι I 677[7], ἔωντι I 155[55], πλέων AM 20 n:o 1[6], ἐπαινέω Timocr. fr. 1, 2. — b) In gen. plur. stirpium in -ες et -ευ: τετρηρέων I 45[1, 2], τριηρέων I 43[20], ἐπιτελέων GDI 3749[5], Ἀστυπαλαιέων I 13[7], ἱερέων I 761[39], 840[7] et sæpe, Καμιρέων I 694[1,8], cet. — c) in adiectivis materialibus: χρυσέωι I 846[1], 155[44,77] et sæpissime, χρυσέω I 937[5] (primi post Chr. n. sæculi). — d) in nominibus appellativis: Κλεώνυμος I 924[13] et sæpius, Θέωρος I 764[58], Φιλοκρέων I 50[37], Ἑρμοκρέων I 222 a, 47[11] alia in -εων cadentia.

2) Raro ω exstat: πολεμῶντ(α)ι GDI 3749[37, 38], συντελῶντ[αι I 746[2], διατηρῶν CIG 3656[12], ἐπακολουθῶν ibd.[13], ἐτῶν BM III 403[132], ἡμίσων GDI 3749[20] (Gelder correxit ἡμισ(έ)ων), εὐσεβῶν I 480[3]. Cum ab hac contractione dialecti Doriensium omnino abhorreant, cumque in titulis vetustioribus et recentioribus Rhodiis formæ non contractæ exstent, contractæ linguæ vulgari certe tribuendæ sunt.

3) In ευ coierunt in amphoris: Κλευνόμου IP 1097, 1098 loco Κλεωνόμου. Μενεσθεῦς pro -έως I 1351: 3. 1165, Μενισθεῦς I 1351: 2; conferri possunt in titulis Teliis Τιμοκρηῦν IGI III[25], Ἑμοκρῆυν ibd.[27, 28] (cfr εο > ευ).

13. η + ᾰ: ἱερῆ (< -ηα) I 830 b[1], 64[2], et sæpius, Ἀλεξ[αν]δρῆ I 155[16], βασιλῆ GDI 3751[11], BM III 403[150], γραμματῆ I 50[2], 762 B[17], Ἀντιοχῆ I 917[5], Ἐρειναῆ I 839 ι[3]. — ἱερέα autem tituli recentissimi I 830 b[2] e dialecto Attica fluxit.

14. ο + ᾱ.

Contractione harum vocalium evasit ᾱ: Βαδρόμιος (< Βοᾱδρόμιος, cfr Att. Βοηδρομιών) Βαδρομίου I 1092: 2, 1139: 6, 7 et in amphoris sæpissime. — Quibuscum conferas formam non contractam in amphora exstantem CIG IV p. 256 n:o 133: Βοαδρομίου. Sed non satis liquet, num amphora illa Rhodia sit. In βοαθεῖν GDI 3749[14], βοαθούντων ibd.[65,81] autem vocales non coaluerunt.

15. ο + ᾰ.

1. Genuina Dorica contractio ᾱ erat in πρᾶτος (< *πρόατος)[1] quod etiam Boeot., πρῶτος autem Ion., Att., Cypr., Aeol., προῦτος Thessal. dicebant; G. Meyer, Gramm.[3] 214, Hoffmann, Dial. I 157, II 376). Apud Rhodios semper fere πρᾶτος: I 155^{79}, 88^{5}, πράτοις GDI 3749^{25}, πρᾶτα I 75 b^{2}, πράταν I 924^{21}, πρᾶτον I 841 a^{6}, Πρατοφάευς I 262, Πραταγόραν I 89^{2}, Πράτου I 1379, alia nomina multa, quæ enumerare opus non est.

Quam ob causam πρῶται decreti Rhodii alterius sæculi CIG 3656^{3}, si re vera in lapide erat (cfr Gelder GDI 3752) a lapicida Ionico falso inaratum putandum est. Nomina autem, ubi ω exstat: Πρωτίου Κωίας I 539 a, Πρῶτος Γαλάτας I 482, Πρῶτος Λυκάων I 818^{10} externorum sunt; Πρώταρχος Πρωτάρχου ISI 256^{41} (Gelæ) ad normam dialecti communis ficta sunt.

In Ἀριστᾶνακτος epigrammatis I 140^{1} (cfr Cypr. Ἀριστοϝάναξ Hoffman, Dial. I 51 n:o 86) α ex οα exstitit[2]. In crasi: τἀρ[χαῖον I 762 A^{14}, ταὐτόν I 892^{9}.

2. Huic rationi contractionis repugnant nomina Δαμῶναξ I 104 a^{3}, 79^{1} (< *Δαμο-ϝαναξ), Δαμώνακτος I 884^{8}, 104 a^{7}, Δαμωνάσσας I 416, AM 23 n:o 95, Κλεώνακτος AM 23, n:o 74, Τειμῶναξ I 4 III^{35}, Ἱερώνασσα I 469, (cfr in dial. Co. Τιμῶναξ PH 368 VIII^{48} et sæpius, Cal. Ἑρμώνακτος GDI 3591 b^{24})[2]. Quam contractionem, cum Ionum præsertim propria esset (Smyth, Ion. Dial. 261 sq.), Rhodii et Dorienses vicini procul dubio ab iis sumpserunt. Haud recte de iis nominibus Wackernagel KZ 29, 143. — Nec aliter,

[1] Vix recte Brugmann, Gramm.[3] 211 ex *πρωϝατος duxit, nam, ut alia omittam, certe ϝ inter vocales in dialecto Cypr. remansisset, cfr ὦϝατ' = ὤϝατα et Hoffmann, Dial. I 193. Alia Schulze, Quæst. ep. 532.

[2] Minus certum videtur, sintne huc referenda Τιμᾶναξ Βουλᾶναξ, cet., in quibus G. Meyer, Gramm.[3] 213 et ni fallor Schulze, Quæst. ep. 453 (cfr add.) α ex οα ducunt. Nam, si in iis nominibus α longum est, ex Τιμαϝάναξ cet. exstitisse potuerunt. Cfr Τιμακράτης Βουλακράτης cet. (§ 2).

credo, explicanda est contractio Μωγέτας AM 23 n:o 79, quocum Hiller nomen tyranni Μοαγέτης alia composuit (Kretschmer, Einleit. 332).

3. Alio modo contracta sunt ο et αι in nomine Gelensium Γελόιον, Γελώιον nummorum quinti sæculi exeuntis Cat. Sic. 25, Γελῶιος ISI 256^{30}, quæ ex forma Γελŏαῖος in lamina Pantaris IGA 512 a (sexsto sæculo) exstante contracta videntur [1].

16. ο + ε.

Incertum est, quomodo Rhodii antiquitus eas vocales contraxerint. De ἐχαλκούργησε I 106^{5} (alterius a. Chr. sæculi) diiudicari non potest, utrum ex *ἐχαλκο-Ϝεργησε (cfr Ϝέργον, εὐεργός) an -*Ϝοργησε (cfr δαμιοργός, G. Meyer, Gramm.^{3} 215). Δρυοῦσσαν BM III 403$^{104, 105}$ (haud scio an ex *Δρυόεσσαν) locus non Rhodius est. — ἐλάσσους (-οες) GDI 3749^{20} ex dialecto communi inductum esse potest. — In crasi τοὐναντίον BM III 403^{130}.

17. ο + ει: στεφα]νοῖ I 922^{18}. — στεφανῶι autem in decreto Gel. ISI 256^{31} ad *στεφανώει redit. Cfr στεφανῶι GDI 3459^{17} (Astyp.), ἀξιῶι GDI 3555^{5} (Calymnæ; cfr Bechtel GDI 3459; Brugmann, Gramm.^{3} 306).

18. ο + οι:

Ex ea contractione οι evasit: εὖνοι GDI 3749^{59}, CIG 3656^{4}; cfr in titulo Coo πρόχοι PH 38^{25}.

19. ω + ο:

Non coaluerunt: Ἄθωος I 1270 (bis, in amphora exstat Ἄφωος, quod Kern in Ἄθωος correxit) cfr Ἀθην. p. 226 n:o 7 Ἄθωος, Μί?]νωος CIG III p. VIII n:o 331.

C. Diphthongus cum vocali (aut cum diphthongo) concurrit.

Plerumque non coalescunt. Nonnullis locis tamen crasi, quam vocant, coniunguntur.

---

[1] Γελοαῖος pro Γελωαῖος sumere, ut Gelder GDI 4248 vult, numerus vetat.

αι + α : καλοκἀγαθίας I 110[5]. — αι + ει: crasis κᾶ[ι]τα I 892[6] (< καὶ εἶτα). — αι + ευ (ηυ?): κἤχοντο Timocr. fr. 1, 12.

Annot. Gen. τουφάγο, τουφυλίδα I 727 Wilamowitz l. l. interpretatus est τὸ Εὐφάγο, τὸ Εὐφυλίδα: aliter Brugmann, Gramm.[3] 451, qui cum Cypr. ὐ = ἐπὶ componens legit τὸ Ὑφυλίδα; idem οὐδάμο IGA 482 a[5] = ὁ Ὑδάμου[1].

§ 20. De assimilatione vocalium.

1. Assimilatione α ex ε ortum est in Σάραπις : Σαράπιος I 788[6] (alterius a. Chr. sæc.), 815 b[4], 835[1], 932; Σαράπιδος I 786[12] (recens), Σαράπιδι I 742[3], Σαραπιαστᾶν I 162[3,4]. Σαραπίων I 398[1], AM 21 n:o 39; Σαραπίωνος Ἀθην. 230 n:o 140, IP 1169—71. Servatum est ε in Σεραπείων I 942, Σεραπι[αστᾶν I 701[10] (primi fere a. Chr. sæculi). — De origine nominis dei et vicissitudine vocalium disseruit J. Schmidt KZ 32, 358 sq., qui existimat ε in syllabis accentum non sustinentibus vocali syllabæ posterioris assimilatum, in quibus autem ε accentum ferret, servatum esse. Postea vero ε in syllabas non acutas inductum esse.

De Ἄρταμις : Ἄρτεμις respice sub § 1.

2. ε > ι in ἱστιατόριον I 677[16] (quarti sæculi) ex *Ϝεστία, Lat. *Vesta*, vix Ionica dialecto adductum esse potest; ut sumit Barth, De tit. Co. dial. 32, cum in aliis plerisque dialectis reperiatur, sed doricum certe est. Quæ causa mutationis fuerit, inter doctos non constat. Brugmann, Gramm.[3] 70 ι assimilatione ortum existimat, quamquam tamen facile ope sibilantis σ vicinæ ι adductum esse concedit. — Auctoritate fortasse dialecti Atticæ ε restitutum est in nominibus titulorum recentium: Ἑστίαι I 704[4], 707[8], Ἑστιοδώρου I 4 II[16], Ἑστιε . . . I 1127, Ἑστιαστᾶν I 162[8], Ἑστιαίου I 50[29], Ἀθην. n:o 88.

3. ε > ο. Genuina forma Dorica Apollinis Ἀπέλλων erat (G. Meyer, Gramm.[3] 64). Inde derivatum est nomen

[1] Blass, Hermes 13, 382 legit ὁ Εὐδάμο.

Ἀπελλᾶτος I 954 (primi a. Chr. n. sæculi). — Ceterum semper ο exstat cum in nomine dei ipsius: Ἀπόλλωνος I 705^{20}, 730^{1}, 736^{13} et alias, tum in derivatis: Ἀπολω(μ?)ίδα I 887 (quinti sæculi), Ἀπολλώνιος I 934 et vicies quater, Ἀπολλόδωρος I 867^{1} et quinquies, Ἀπολλόδοτος I 819^{34} et novies, Ἀπολλ[οδό]τα I 336, Ἀπολλοθέμιος I 46^{235}, Ἀπολλοφάνης I 1241. — De veriloquio cfr G. Meyer, Gramm.[3] 64 sq. De sententia J. Schmidtii KZ 32, 327 in casu vocativi Ἄπελλον assimilatione ε in ο transiit: Ἄπολλον, unde ο in alias formas translatum est.

Assimilatio exstat etiam in ὀβολόν I 677^{32} (quarti sæculi), ἐννέ' ὀβολούς GDI 3749^{27}, τριώβολο[ν I 155^{23}. Comparatis Co. ὀβελός PH 37^{53}, Cret. ὀδελός, Argiv. ὀδελονόμοι, cet. probabile est ο auctoritate Ionicæ vel Atticæ dialecti inductum esse. De veriloquio cfr G. Meyer, Gramm.[3] 64.

3. ι > υ: In amphoris: Ὑακυνθίου Mel. I n:o 115, et Ὑακινθύου ISI 2393: 545.

4. υ > ι: Assimilatione ι fortasse in Δορκιλίδα loco Δορκυλίδα IP 1010 et in cognomine Apollinis Ἐρεθίμιος < Ἐρεθύμιος (§ 10) exstitit. Tamen recentioribus temporibus in sermone υ vix multum ab ι differebat.

§ 21. De productione compensatoria.

Quæ productiones apud Rhodios fuerint nativæ quaque fuerint natura vocales productæ, constituere summæ est difficultatis, cum perpaucæ inscriptiones vetustiorum temporum nobis servatæ sint, ubi productiones eiusmodi reperiuntur, recentiores autem formis aut dialecti vulgaris aut Ionicæ imbutæ sunt. Ita fit, ut his in rebus tituli speciem multo confusam præbeant.

1. Ubi digamma exstinctum est, productio iam facta est, iam non.

A. Ante ρ (< ρϝ):

a) Nomina cum Δωρι- composita Bechtel, Person.[2] 102, BB 21, 227, G. Meyer, Gramm.[3] 135, alii ex *δορϝι-, ep.

δουρός derivaverunt. Apud Rhodios hæc exempla exstant: Δωρικλῆς I 845[37] (primi ante Chr. n. sæculi), Δωριφάνης Δωριφάνευς I 47[17] (eiusdem ætatis), Δωριάδαι I 695[81] (tertio a. Chr. sæculo non recentior), cfr Δωρίων I 127[17], Δωρίς AM 21 n:o 34 (cfr Ion. nomen Δοῦριν BM III 403[109, 120]), Δωριέως I 705[3] et alias ter, Δωριτίμου (Rhodius) Mnemos. 24, 186 n:o 1[47] (tertii sæculi) = BCH 10 p. 254 n:o 2[47] (Phoenice), Δωρ[ί]ων, Δωριχάριος BCH 18, 32 n:o 13 (Physci). Nec tamen suspicio abest hæc nomina cum δωρι-: δῶρον (*donum*) composita esse; cfr δαμι-οργός : δαμο-. Si autem cum *δορϝι- composita sunt, in iis ratio vetustissima productionis restat.

b) ου productum in: Διοσκ]ούροι[ς I 30 (tertii sæculi; ex -κορϝο-), Διοσκουρίδας [Κ]υφεληνός I 112[7]; incertum id, quod legit Hiller, Κού[ρ]ωνος I 925[9] (tertio sæculo antiquior)[1]. Cfr κοῦρον BCH 15, 634 n:o 8[5] (Astyp.), Διοσκουρίδας Mnem. 24, 184 n:o 1[48] (in Chersoneso Rhodia). In his nominibus productio a dialecto Ionica petita esse potest (cfr de dialecto Att. Meisterhans[3] 27).

c) Productio deest in Κόραι I 29[4], ὅροι I 736[9] (tertii sæculi), 130, ὁρίξασθαι BM III 403[107], π]αρορίας ibd.[129], παρορίαι ibd.[134], παρορίζον[ται ibd.[143], ὅρον ibd.[160] et novies, ὅρους ibd.[163, 168], cet. (cfr Corcyr. ὅρϝος GDI 3192, ὅρβος GDI 3194). — Δορίμαχος I 46[204] (primi a. Chr. sæculi). In his omnibus exemplis lingua Attica valere potuit (cfr Schweizer 66 sqq., Meisterhans l. l.).

B. Ante ν (< νϝ).

1. ε productum est η in Ξηνιάδα (< *Ξενϝι-) tituli Agrigentini ISI 952[12], quam ob rem dubium esse non potest, quin Εὐξένο tituli Gelensis, Notiz. 1900 p. 281 (sexto sæculo non recentior) legendum sit Εὐξήνο. Ξηνοκλῆς est nomen mercatoris Rhodii I 1370; Ξήνωνος amphora CIG IV p. 254 n:o 72, altera Ξην. . . . ibd. n:o 73 habet.

---

[1] Cfr Bechtel BB 21, 232 qui Κού[φ]ωνος proposuit.

2. Interdum ει exstat in nominibus: Καλλιξείνου BM III 403[1], Καλλιξειν . . . in nummo Rhodio, Mionn. III p. 405, 125. Καλλιξει . . . Froehnero auctore (vide GDI p. 654) ibd. n:o 126 legendum est. Καλλίξεινος I 46[339] (primi a. Chr. sæculi) et alias quinquies [1], Ξειναρέτας AM 23 n:o 69, Ξεῖνις Ξενομένευς I 730[24] (primi a. Chr. sæculi), Ξεινιάδα Καρπαθιοπολίτας I 232[2], Ξεινώ Καρπαθιοπολῖτις I 229 (altero a. Chr. sæc. vix recentior), Τιμοξείνου Ἀθην. n:o 174 (juxta -ξένου), Ξεῖνις in amphora ISI 2393: 391; Καλλιξείνου (Rhodius) in titulo Delphico GDI 2581[218] (anno 180), juxta Ξένωνος v. 216, Πιστόξενος v. 219. In poematis: ξείνοις I 40[9] (cfr v. 8 Ξενοφάντου), ζεῖνε I 33[2]; ξεῖνον Timocr. fr. 1, 5. Cum Ξεινιαστᾶν I 161[1] cfr Ξενιαστᾶν ibd.[3].

3. Sæpissime tamen in nominibus ε: Ξενοφάνης (Ξενοφίλου) I 764[47] (tertii sæculi) et quater, Ξενοφῶν ibd.[65], 761[33] et septies, Ξενο . . . I 924[1] (tertii sæculi), Πολύξενος (Gelensis) ISI 256[40], Καλλιξένου I 271 et semel, Εὔξενος I 766 B[4], Ξενόδαμος I 730[20] et bis, Ξεναγόρας I 46[415], Ξεναγόρα I 270, Ξέναρχος I 834, 328, Ξενόβουλος I 230, Ξενόμβροτος I 730[17], Ξενόνβροτος I 42[20], Ξενομένης I 730[24] (cfr Ξεῖνις ibd.), Ξενόστρατος I 46[113], 1173, Ξενόφαντος I 40[4, 8] et ter, Ξενόχαρις I 46[117] et semel, Ξένων I 46[191] et semel, Ξενοφάνευς IP 1152 et in amphoris sæpissime, Ξεναρέτου I 1367 et in amphoris sæpius; in nummis Ξενοκράτης Cat. Car. 244, 255 (tertii sæculi); Ξενιαστᾶν I 161[3] (cfr ibd.[1] Ξειναστᾶν); ξενολογίου GDI 3749[10], ξενολόγιον ibd.[41] (bis), ξενολογίωι ibd.[41]; semper πρόξενος ut I 32, 48 B[6, 11], ISI 954[10] 952[19] (Agrig.); προξενία[ν GDI 4256[8], προξενίας ISI 952[9] (Agrig.), ξένας I 766 B[4—6].

Annotandum est in epigrammate I 40[8] (circ. annum 219) nomen Ξενοφάντου itemque ξένε in alio epigr. I 147[1] (anno 200 a. Chr.) brevi ε legendum esse.

Ut singulas productionis rationes in examen vocemus, allatis apparet a tertio a. Chr. n. sæculo et ξεινο- et ξενο-

[1] Commemorasse dignum videtur hominem eundem (?) in tituli I 46 v. 339 Καλλίξεινος Ἀριστομάχου, v. 315 autem Καλλίξενος Ἀ. nominari.

interdum in eodem titulo alternare. Nullum iudicum certum, perpaucis verbis mutilatis solis restantibus, fieri potest de origine tituli I 710, qui ad quintum vel quartum sæculum iniens pertinet, ubi gen. Φι]λοξένο occurrit. Primigenia vocalis productio apud Rhodios collatis Rhod. Ξηνοκλῆς et Agrig. Ξηνιάδα η fuisse videtur. Cum ne in titulis vetustissimis quidem Ϝ in dialecto servatum sit, maximum probabile est hanc productionem ad tempora satis antiqua redire atque adeo ante Gelam Agrigentumque colonias deductas perfectam esse. Quod si ita est, nomina cum ξεινο- composita more Ionum, cum ξενο- autem Atticorum ficta sunt.

ἕνεκα (< *ἕνϜεκα, Brugmann, Gramm.^{3} 40, G. Meyer, Gramm.^{3} 125), cuius exempla sub § 1, 5 allata sunt, speciem communis vel Atticæ linguæ præbet.

De ἔνατος (< *ἔνϜατος, cfr Cret. ἤνατος, G. Meyer, Gramm.^{3} 502, Brugmann, Gramm.^{3} 41): ἐνάται I 906^{1} (tertio sæculo non recentior, cfr in dial. Co. ἐνάται PH 369^{3}, 37^{58}, ἐνάτας ibd.^{6}) idem valet atque ἕνεκα.

B. De τέλεος, τέλειος (Cret. τέληος < *τελεσϜος) conferas § 3. Utraque forma Rhodia ad dialectum Atticam se applicat.

C. Ante μ (< σμ).

1. ε producitur η in ἠμί (< *ἐσμι, Aeol. ἔμμι, Ion., Att. εἰμί, Lacon. cet. ἠμί) in titulis vetustissimis Rhodiis: ἠμί I 709, 720, 718, 719, 887, 724, 904 et fortasse 898 [1], ἦμεν I 760, ἐξήμειν I 694^{4} (tertio sæculo non recentior). Ubi in titulis Gelensibus et Agrigentinis antiquitus ἐμί legitur IGA 513, Notiz. 1895, 239, certe idem atque Rhodium ἠμί valet [2]. In titulis inde a tertio sæculo semper ει: εἶμεν GDI 3749^{90} (a. 220), $3751^{4,9}$ (alterius sæculi), εἴμειν BM III 441^{93} (anno 201), ἐπείμειν BM III 403^{27} (alterius sæculi), εἴμειν ibd.^{123} et ter, εἴμ[ειν? I 734^{2}, ε]ἴμειν I 923^{9} (tertio sæculo non recentior) εἴμμειν I 155^{100} (alterius sæculi). ἔμειν

[1] Cfr Hiller, l. l.

[2] Cfr Cauer, Philol. Anzeiger 13 p. 655.

exstat in lamina Dodonæ inventa, quæ aut ad Rhodum aut ad colonias eius referenda est, GDI 1568^{2}.

Allatis exemplis elucet tertio fere sæculo antiquum η in ει (id est ē) dialecti communis mutatum esse [1].

D. Ante ν, νν (< σν):

In elogio hominis ex Chersoneso Cnidia oriundi I 263: Φαέννου (< *ΦαϝεσνοΟ-, cfr Schulze, Quæst. ep. 167). — De Κληνο- ex Κλεϝεσνο- cfr § 19, 2 diiudicari non potest, utrum contractio ante productionem facta sit, necne (cfr in Cnidiis titulis Κληνόπολις § 19 cum Φαέννου).

E. Ante ς (< νς):

1. ε productum est ει: αἱρεθείς I 922^{6}, ἐπαινεθείς I 155$^{42, 71}$, χυρωθεῖσας GDI 3749^{86}, ἀποσταλ<λ>εῖσι GDI 3749^{33} et in participiis semper; οὐθείς BM III 403^{99}, μηθείς GDI 3749^{46} cet.

2. ο productum est ου: ἄρχουσι I 155^{99}, ἔχουσα I 156^{4}, 850^{13}, 851^{11}, ἀναφέρουσα BM 403^{161}, οὐσίας BM III 403^{136} cet.; μου[σικόν? I 126^{2}, Μουσαῖος Cat. Car. 246, Φιλομούσου I 446, Μουσαϊστᾶν I 680$^{1, 6}$, μοῦσα Timocr. fr. 2, 1 (< *μοντια cfr Lesb. μοῖσα. Dor. μῶσα. Wackernagel, KZ 33, 571 sq.).

Consona post νσ sequente productio non fit: ἐστάλαι I 694^{3}; ἐστάλα I 3^{11} (= ἐν στάλαι) [2]. Huc pertinet etiam ᾰ acc. plur. chelidonismi v. 2: καλᾰ́ς, ὥρᾰς [3] et ε in præpositione ἐς, εἰς (< *ἐνς). In vetustioribus titulis semper ἐς: I 677 ἐσίμειν^{19}, ἐσφέρειν^{20}, ἐς τάς^{5}, ἐς τό^{11} et bis, ἐς τούς^{35}; I 764: ἐς τάν. A tertio sæculo magis magisque forma communis εἰς vetustiorem loco suo movit: I 694 ἐς τό^{3}, ἐς ταῦτα^{12}, juxta εἰς τό^{16}; I 761 ter ante consonas ἐς, semel εἰς; in decreto GDI 3749 (anno 220) decies quater ante consonas εἰς, semel ἐς: in titulo sepulcri I 155 (alterius sæculi) ante consonas εἰς decies quater, numquam ἐς exstat; in iudicio

[1] Cfr in titulis Calymniis GDI 3591 a: εἶμεν (v. 9) sed ἦμεν (v. 29) παρῆμεν (v. 27) itemque in n:o 3576 ἦμεν (v. 4) εἶμεν (v. 9).

[2] Brugmann, Gramm.^{3} 74 sq.

[3] Longum α in nominativo κηδεύσᾱς I 147^{2} metro apparet.

Rhodiorum BM III 403 (alterius sæculi ineuntis) decies εἰς, semel ἐς et ἔστε ante consonas. In titulis primi a. Chr. sæculi εἰς omnino vicit.

F. Ante λ:

1. ε producitur ει in aoristis ἀποστεῖλαι BM III $403^{95, 128}$, ISI 612^{5} (Regii), παραγγείλωντι GDI $3749^{18, 75}$, ἠπαγγείλετο I 937^{7} cet.

2. βωλά, βουλά et derivata.

De forma primaria vocabulorum βούλομαι, βουλή, Dor. βώλομαι, βωλά, Lesb. βόλλομαι, βόλλα, coll. Dor. δήλομαι, Thessal. βέλλομαι inter doctos non satis constat (cfr Brugmann, Gramm.³ 73, J. Schmidt KZ 32, 385, G. Meyer, Gramm.³ 137). Optime mihi videtur Meillet IF 5, 328 e primariis formis *βόλσα, βόλσομαι < *g̯ᵤolsa, *g̯ᵤolsomai derivare. Utut est, certe productio compensatoria in βουλά, βωλά, cet. latet.

a) Antiquissimum statum ω nomina nonnulla servaverunt. In catalogo Camirensi enim I 695^{41} tertio sæculo non recentiore sodales patræ Camirensis nominantur Βωλαιο[νίδ]αι [1], quod nomen certe a Βωλαῖος derivatum cum βωλά componendum est. Ex eadem stirpe exstitit Βώλιος in elogio I 341. Rhodius Βωλίων inter hospites enumeratur in titulo Delphico GDI 2581^{221}. Βω]λακράτης legendum est in titulo Lind. I 764^{28} (cfr Gelder GDI 4157); conferas in votiva tabula Calymnia recente GDI 3597^{7} Βωλίου, et in in titulis Cois recentissimæ ætatis PH 54^{2}, 59^{1} Βωλίχου, Telio Ἀναξιβώλου IGI III 31^{5}, in nummo Cnidio quinti fere sæculi Εὔβωλος GDI 3550: 1 (= Hist. Num. 524) quamquam in titulis earum dialectorum alias nisi βουλά cet. non reperiuntur. Conferendum est etiam δήλομαι (<*g̯ᵤelsomai) titulorum Co. (Barth, de titulor. Coor. dial. 65) et Calymn. GDI 3585^{18}.

b) Sæpissime tamen Ion. Att. ου exstat: a) semper βουλᾶς I 701^{16} (primi a. Chr. sæculi), βουλᾶν I 58^{14} et sæ-

[1] Cfr in eodem titulo Ἀγαθοβουλίδαι[80].

pius, βουλευτάς I 51[5], βουλεύουσα I 53[3]; b) in nominibus sæpissime: Εὔβουλος I 761[5] (tertio sæculo) et bis, Βουλακράτης I 705[7] (tertio sæc.), Βουλάναξ I 767[11], Βουλαγόρας I 155[2] et quater, Ἀναξίβουλος I 1080 (amph.), Ἀριστόβουλος I 46[143] et quater, Βουλίδας I 761[18], Θρασυβούλου I 764[20] aliaque multa.

F. Ante ρ:

1. Productio ει exstat in χειρῶν I 40[6] (epigr.) χεῖρα I 75 a[1] (epigr.; cfr in titulis Cois διαχειροτονείτω PH 10 a[15], χειροτονηθέντων ibd.[20], Cal. κεχ]ειροτονημένος GDI 3586[7]); διαφθε(ῖ)ραι BM III 403[68].

2. ου in λόφ-ουρον I 677[23] (quarti sæculi; < *ὄρσος, Teuton. *ars*, Suecan. *ars*)[1], κόλουρις Timocr. fr. 3, 2.

§ 21 a. De sonis η, ει et ω, ου contractione aut productione exortis.

Iam antea (§§ 19, 21) exemplis ostendi, in dialecto Rhodiorum sonos eos, qui productione compensatoria ex ε aut ο orti sunt, in titulis η aut ει et ω aut ου signari itemque ex contractione ε + ε aut η aut ει apparere. Quomodo eæ res intelligendæ sint, maximam inter doctos dissentionem esse constat. Ahrens olim eam ob causam dialectos omnium Doriensium in severiorem et mitiorem Doridem divisit. Severiori scilicet eas dialectos attribuit, quæ "pro diphthongis ει et ου, quas mitior Doris cum Iade et Atthide communes habere solet, sæpe secundum certas quasdam leges . . . longas vocales η et ω profert, ut ἵππω pro ἵππου, ἦμεν pro εἶμεν i. e. εἶναι" (Dial. Dor. 414). Mitior Doris autem, ad quam dialectum Rhod. refert, sic definitur (l. l. 403): "Mitiorem Doridem eam diximus, quæ declinationis secundæ genitivum cum Atthide in -ου terminat, ut ἵππου et omnino Atticarum diphthongorum ει et ου mutatione in η et ω abstinet."

Quam divisionem tamen oppugnaverunt et alii et G. Meyer, qui in Gramm.[3] 125 sqq. probare studuit hoc discri-

[1] G. Meyer, Gramm.[3] 136.

men ad tempus tantum pertinere atque omnes dialectos Attica et Ionica non exceptis olim in statu severioris Doridis fuisse, postea vero in aliis alio tempore propter appellationem magis clausam η et ω in ει et ου transisse. Sententiæ Meyeri adversatus est Johansson, De derivatis verbis contractis p. 22 sqq., qui divisionem Ahrensii vindicare conatus ostendit Meyerum ad unam normam omnia revocantem res confudisse et in unum congessisse, quæ discernendæ sint aut aliter explicari possint. Johansson, si eum recte intelligo, ita raticionatus est. Vocales breves ε et ο ab origine apertas fuisse. Cum vero postea in dialectis aliis alio tempore clausæ eæ vocales factæ essent, in iis diclectis, ubi apertæ essent, contractione vel productione η et ω, ubi clausæ, ει et ου evasisse. "In mitioribus igitur dialectis", inquit (p. 27), "iure contendi potest, qui e contractione natus est sonus, eum non e sono antea apertiore (= lac. η, ω) mutatum esse, sed contractionem principalibus vocalibus clausis peractam esse. Et id non ab attica (vel ionica lingua) mutuo, ut ita dicam, esse acceptum putandum est, sed tantummodo significat, quantum ad dialectorum leges sonorum similes faciendas vicinitas locorum valeat."

Iam quod ad dialectum Rhodiorum atque omnino insulanorum Caricorum attinet, nec Meyeri nec Johanssonii sententia mihi probanda videtur. Productionem η in ἠμὶ, ἦμε(ι)ν factam (§ 21, 6), quæ ad divisionem Ahrensii non convenit, Johansson (l. l. 28) ita intelligit, ut vetustiore tempore quam ceteræ productiones facta sit, quam ob causam η prodisse. Cum in titulis a tertio sæculo εἰμί εἶμειν appareant, vix, ut Meyer censet, η tantum ad clausum sonum (ẹ) accessisse putandum est, ut ope ει reddi necesse videretur. Si enim ita esset, cur η alio modo ortum in ει mutatum non est? Vix multum enim η in ἐξήμειν I 694[4] (tertio sæculo non recentior) ab η in δαμοτελῆ ibd.[19] vel ἐπιμεληθησεῦντι ibd.[6] differebat. Quam ob rem sententia Meyeri probari non potest. Neque alia via explicandi restat ulla, quam ut in formis, quæ ει exhibent, e lingua communi adscitum sit.

A mitioris Doridis ratione productionis porro ω in Βωλαιονίδαι I 695[41] cet. (§ 21, 5) abhorret. Iam cum in eodem titulo, ubi ceteroquin confusio nulla sonorum ω et ου conspici potest, Ἀγαθοβουλίδαι (v. 80) et in aliis eiusdem temporis vel recentioris βουλά, βουλεύω derivataque exstent, fieri non potest, quin ου e Ionica vel Attica dialecto irrepserit. Ac nomina cum Δωρι- composita — si quidem a *δορϝι- neque a δῶρον ducenda — et ea ab divisione Ahrensii aversa apparent. Denique nomina a *ξενϝο- derivata satis testimonii sunt, quam commixta dialectus Rhodiorum fuerit. Cum iam in titulis antiquissimis et Rhodiis et Gelensibus et Agrigentinis excepto uno loco, de quo ambigi potest (§ 28), nulla vestigia digammi exstent, verisimile est productionem η, quæ in Agrigentino Ξηνιάδα, Rhodio Ξηνοκλῆς cet. (§ 21) est, primigeniam fuisse atque ante colonias in Siciliam deductas factam esse. Productio Ξεινο- autem, si ita res se habet, secundum Ionicam linguam ficta est. Cum his tertia forma ξενο- interdum in eodem titulo inde a tertio a. Chr. n. sæculo alternat.

A mitiore Doride porro η ex εε contractum in κῆνος, Εὐκλήσιος, Ηράκλητος, Θεσμόκλητος et nominibus cum Κληνο- compositis (p. 47) abhorret, iuxta quas ab quarto a. Chr. n. sæculo formæ ει exhibentes inveniuntur, velut Κλείταρχος, Ἡράκλειτος, Κλεισίμβροτος cet.

Quod ad contractionem ο + ο > ου attinet, quam Ahrens mitioris præsertim Doridis exstimat, supra exemplis ostendi (p. 48) terminationem genitivi singularis -ο quarto sæculo non eadem natura atque genuinum ω fuisse, et cum ab hoc sæculo et postea semper in contractionibus ου, non ω occurrat, id sententiam Ahrensii commendare videtur.

Tamen hac in re Rhodios in statu mitioris Doridis a primordio fuisse non prorsus certum mihi hæc consideranti videtur. In insula Carpatho, Argiva fortasse colonia (cfr Diod. V 54, 4), quæ ab antiquis temporibus cum Rhodo

coniuncta erat[1], cuius dialectum Rhodiorum simillimam fuisse tituli docent, elogium exstat I 1027, ubi mirum in modum genitivi Εὐδόξω, Σωτίχω leguntur. Cum titulus recentioris ætatis esset (οἱ pro τοί et apices!), terminationem -ω pro -ου haberes (cfr § 6), nisi in coperculis nonnullis Casi in insula repertis, quorum similia nulla extra insulam inventa sunt, eandem terminationem reperires: Ἐ?...τιμ|ιω I 1050 (quarti vel tertii sæculi), quod vix nisi genitivus nominis cum τίμιος compositi esse potest. Eam interpretationem commendant formæ Ἀντινῶ (< Ἀντινόω) I 1060 (apices!) et Ἀρισταγόρω I 1046 (quarti vel tertii a. Chr. sæculi, in quo Gelder GDI 4327 b vix recte Ἀρισταγορῶ coniecit, cfr in titulo Calymnio GDI 3590[51] Ποτάγορος, Cret. Προάγορος Mus. Ital. III 640 n:o 54[5], alia Bechtel, Person.[2] 44). Casus insula olim cum Co coniuncta (cfr Hom. B 676) postea pars civitatis Rhodiæ fuit (Gelder, Gesch. 185). Cogitari id quidem potest homines eos, de quorum elogiis agitur, Cretenses fuisse et terminationem -ω dialecto Cretensi vicinæ attribuendam esse. Sed cum copercula eiusmodi nusquam extra insulam reperta sint et plura esse videntur, quam ut omnia hoc modo explicari possint, veri similius est ad insulanos ipsos pertinere. Terminationem -ω genitivi sg. præbet etiam amphora Cnidia, quæ ad tertium sæculum referenda videtur IP 1270: Φιλίω, cum alias in titulis, ni fallor, nisi terminatio -ου non exstet (cfr etiam in nummo Cnidio Εὔβωλος GDI 3550: 1). Quas ob causas a verisimili non abhorret Rhodios quoque hac in re olim in statu severioris Doridis fuisse, quamquam postea formæ genuinæ Ionicis vel Atticis formis extrusæ sunt.

Videmus igitur plurimis in rebus, in quibus Ahrens mitiorem Doridem statuit, apud Rhodios vestigia severioris Doridis restare. Quam ob rem facere non possum, quin ad sententiam Meyeri quodammodo accedam atque existimem Rhodios olim, cum contractiones et productiones pleræque

[1] Gelder, Gesch. 185 sq.

fierent, in statu severioris Doridis fuisse, nec tamen ita, ut, cum signa mitioris Doridis postea apparerent, ea in dialecto ipsa pronuntiatione magis clausa effecta, sed tales formas ex Ionica vel Attica vel communi dialecto inductas esse putem. Ne quis miretur tam infrequentes formas severioris Doridis, mitioris autem frequentissimas relictas, monitum velim, plurima monumenta tertio a. Chr. n. sæculo vetustiora non esse. Iam obliviscendum non est Rhodios, ut antea sæpius perhibui, a temporibus antiquissimis frequenter ad Iones commeasse eosque plus centum annis artissime cum Atheniensibus et iis temporibus quidem, cum hi in litterarum omni genere florebant, coniunctos esse. Quam ob causam eorum linguam ad dialectum Rhodiorum mutandam multum valuisse admodum probabile est. Et genus id sermonis, quo in titulis utebantur, iam quarto sæculo formis linguæ communis, quæ magis magisque accrescebant, commixtum erat, nec dubium est, quin non paulum a quotidiana et præsertim populari lingua discrepaverit. Neque a vero absonum est eos in sermone multa Doridis severioris signa retinuisse, quæ interdum in linguam publicam, ut ita dicam, illapsa sunt. Hoc modo factum est, ut nomina propria utique et alia speciem severioris Doridis in titulis retinerent, quippe cum in sermone quotidiano usurparentur.

§ 22. De vocalium longarum breviumque permutatione.

Iam satis constat ab altero a. Chr. n. sæculo in locis diversis Græciæ mutationem quantitis vocalium factam, quæ cum aliis rebus tum ea cernitur, quod sæpe vocalis longa pro brevi aut contrarium scribebatur. Cuius rei exempla ex titulis (et ex papyris) collegerunt et alii et Kretschmer KZ 30, 595 sqq., Meisterhans[3] 68, Schweizer 94 sqq., Barth, De titulor. Co. dial. 48.

Apud Rhodios vero ea permutatio in titulis rarissime nec fere nisi in privatis[1], sæpius vero in amphoris occurrit.

[1] Exempla, quæ affert Kretschmer l. l. p. 97 omnia uno excepto pravæ lectionis sunt.

Si ad tempus spectas, ante alterum a. Chr. n. sæculum nulla exempla inveniuntur. Cui rei consentaneum est, quod in amphoris Pergami repertis, quæ altero a. Chr. sæculo recentiores non sunt, raro permutationem inveniri. — In congerie exemplorum sequenti omnia omisi, quæ non satis confirmatæ lectionis sunt.

1. η pro ε.

Non nisi in amphoris exstat: Δαμαινήτου I 1115: 1 (iuxta Δαμαινέτου ibd. 2 et alias decies quater, cfr I 155[1], alterius fere a. Chr. sæc.), quæ forma procul dubio latet etiam in ΑΜΜΑΙ·ΗΤΟΥ I 1275, ut vidit Gelder (Hiller: Δα]μα[γ]ήτου?) et in ISI 2393: 191 a, ubi Δαμενήτου traditur[1]; Τιμοθήου Ἀθην. n:o 172 (pro Τιμοθέου ibd. quinquies et aliis locis); de Διοσσθήου Ἀθην. n:o 2 et Διοσθέου pro Διοσθύου cfr supra § 8. — In syllabis accentum non ferentibus: Ἡρμαγόρα I 1125; notam communis linguæ fert Ἡγημάχου I 1065: 1 (iuxta Ἀγεμάχου ibd. 2, 3 et in amphoris Pergam. sæpe).

2. ε pro η.

In amphoris: Χρεσίμου I 1416 et formæ linguæ communis Μετροδόρου I 1353, Ἑλλενίκου I 1293; in titulo recentissimo διενεκές I 786[16]. — In syllabis acutis: Διοκλἔς I 1224, Ζένωνος I 1307: 2, Ἀριστοδέμου pro -δήμου I 1095: 2; πλἔθος pro πλῆθος in titulo I 847[14] (primo a. Chr. n. sæc.). Correptio vocalis exstat etiam in Ποντωρεῖδος I 175[4], Ποντωρεῖς I 750[2] (cfr Ποντωρῆς I 173, 176), in forma linguæ communis εἰρημένοι decreti GDI 3751[11].

3. ω : ο.

Partic. χρήζωντι 155[94] (titulus sepulcri alterius a. Chr. sæculi), Ἀριστωνίκ[ου pro Ἀριστονίκου in amphora J. Ph. V

[1] Primo aspectu crederes Δαμαίνετος et Δαμαίνητος cum gemellis formis adiectivi verbalis αἰνετός et αἰνητός (cfr Bechtel, Person.[3] 48) composita esse. His locis vero utraque forma, quantum ex litteratura iudicare licet, ad tempus idem eundemque eponymum pertinere videtur, quam ob causam η pro ε, quod amphoræ plurimæ præbent, scriptum esse crediderim.

n:o 16. In syllaba, quæ accentum habet, Δώρκωνος pro Δόρκωνος elogii I 353.

4. ο : ω.

Πράξον I 112[4] pro Πράξων, Κράτονος I 463 pro Κράτωνος?, Ἐρι]ναιέος pro vulgari -εως I 196, si lectio recte se habet, Ὑγασέος pro vulgari Ὑγασέως I 297, ἀξιολογοτά[τας I 94[7]. In amphoris: Σοσίδα I 1188, Σοσικλεῦς I 1189: 1 (sed Σωσικλεῦς ibd. 2, 3 et alias sæpe), Σοστράτου Ἀθην. n:o 161 (ter), Ἰάσονος Ἀθην. p. 228 n:o 85 (bis), at Ἰάσωνος ibd. semel, Ἀρίστονος ibd. p. 235 n:o 52 (bis) iuxta Ἀρίστωνος quater, Κλεονόμο[υ I 1235, Ἄν[δ]ρον pro Ἄνδρων I 1234: 1 (cfr ibd. 4), Ἀριστίονος I 1092: 2 (sed Ἀριστίωνος ibd. 1), 1250: 1, 11, 12 (at ω ibd. quater), IP 891. In syllabis, quæ accentum sustinebant: Μασσαλιότα I 444 pro pro -ώτα, Εὐδόρου I 1129, 1299, Μετροδόρου I 1353, Πυθοδόρου I 1381, ISI 2393: 441 d, Θεωδόρου ISI 2393: 280, Φιλόν[δ]α AM 21 p. 58 n:o 43 (iuxta Φιλώνδα ibd. n:o 44), I 1203.

5. ει pro ῐ rarius apparet in amphoris: ἐ]πεὶ pro ἐπὶ IP 1094 (bis), Ἀρταμετείου IP 900. Ἡλειοδώρου I 159, Ἐρειναῇ I 839[3] (recens).

6. De η pro ῐ in Ἀρταμητίου § 4, 3.

7. De ου pro ο (= ŭ) respice sub § 5. De ου Latinum ŭ (*v*) reddente conferas § 18.

In epigrammatis rarissime in quantitate vocalium ne in recentissimis quidem peccatur. Legibus modorum obstat productio in: θαλερός ἔμεν οἶκος I 783[5] (⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – –; tertii vel quarti p. Chr. n. sæc.). Diphthongus αι correpta est in epigrammate I 147[3] (circ. a. 200 a. Chr. n.): χρηστοτάταν δικαῖαν (– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –; cfr ibd. σοιζόμενος pro σωιζόμενος, et in exeunte versu πᾶσιν ἐρρῶσθαι – ⏑ ⏑ – –).

Ut iam perhibui, permutationes vocalium semper fere in titulis privatis, in amphoris utique reperiuntur. Qua ex re concluseris id popularis sermonis proprium maxime fuisse. Causam permutationis Kretschmer KZ 30, 598 sq.

in natura accentus mutata positam esse censet, ita ut accentu ab eo, qui vocis elatione („musikal. accent"), magis ad alterum, qui vocis intentione („exspirator. accent") insignis erat, transeunte mensuræ vocalium sensim adæquatæ sint. Sed interdum fortasse permutatio ex eo pendet, quod qualitates vocalium adæquatæ erant, ita ut ε et η clausum sonum ẹ̄, ο et ω clausum sonum ŭ significarent. Velut Κλεονόμου I 1235 et Κλεωνόμου vix aliter sonabant ac Κλευνόμου (§ 19, 12), Ὑγασέος et Ὑγασσέως in sermone vix multo a nominativo Ὑγασσεύς differebant (cfr ἐπὶ Μενισθεῦς § 19, 12). Iam primo p. Chr. n. sæculo inter ηι, η, ει in sermone populari vix discrimen erat, ita ut sonis clausis prope ad ι (ẹ̄ⁱ) accedentibus sonarent. In aliis formis autem velut Κράτονος, Ἀριστίονος cet. ex ea re pendere potuit, quod flexiones ων, -ωνος et -ων, -ονος analogia confusæ sunt. — Videtur hic mos Ionum utique fuisse vocales longas cum brevibus permutare, ut apparet locis duobus apud Photium et Philostratum exstantibus, quos affert Schweizer 94. Nec a probabilitate absonum est ex Asia regionibusque vicinis eam permutationem profectam esse, qua postea in lingua communi omnes vocales adæquabantur (cfr Thumb, Die griech. Sprache im Zeitalter des Hellenismus p. 143).

§ 23. De vocalibus abiectis.

Raro in titulis, sæpius in amphoris vocalis bevis excidit, præsertim si accentum non sustinebat. Hoc inde ab altero a. Chr. n. sæculo apparet. In amphoris: Πεδ(α)γειτνύου IP 1226 (altero a. Chr. n. sæculo non recentior), Ἀρχ(ο)κράτευς IP 970 (bis), Θεσμοφ(ο)ρίου I 1346: 8, Ἀγρι(α)νίου I 1113: 1, ISI 2393: 489?, Νικασ(α)γόρα I 1170: 16, Ἀκεσ(ι)κοῦ? I 1227, Ἰασ(ι)κράτευς Ἀθην. n:o 107, Ἀγοράνα[κ]τ(ο)ς ISI 2393: 34, Ἐ]πίγ(ο)νος AM 21 p. 132 n:o 30 (inscriptio tamen difficilis lectu); ἐπ(ὶ) Κλεάρχου I 1155: 2, ἐπ(ὶ) Τισαγόρα I 1199: 1, ἐπὶ (Ἀ)γλουμβρότου J. Ph. X 5 n:o 2. In titulis: Τρ(ι)τύλλου I 46[331] (catalogus primi a. Chr. n. sæculi), Ἀρ(ι)στανδρίδα I 237 (elogium; „litteris

formæ insolitæ nec bonæ", Hiller), ἐγγ(ε)νής I 877[3] (elogium: "litteris apicatis"), cfr in titulis Cois Καλλιάν(α)κτος PH 10 c[31], Κλην(α)γόρα ibd.[30]. — In syllabis acutis Ἀρ(ί)στωνος I 1260: 2, Ἀρ(ί)στα I 1088: 2, Ἀρταμιτ(ί)ου ISI 2393: 437, Ἀγριαν(ί)ου I 1157. — Videtur hoc popularis præsertim sermonis proprium fuisse. Talia etiam in vasculis Atticis reperiuntur, velut (ἐ)ποίησν, Ἀπλλόδορος cet. (Kretschmer, Vasen. 124 sq.).

III. Consonæ.

§ 24. Nasales.

1. μ : β.

In περι-βολιβῶσαι I 694[10] Brugmann (Gramm.[3] 133) ex μόλιβος derivans β priore loco assimilatione ortum esse censet (cfr G. Meyer, Gramm.[3] 251 sq.). Sed etiam alias β pro μ apud Rhodios exstat: Γερβανικόν (= Germanicum) incisum est in decreto I 2[12] (anno 53 p. Chr. n.), ubi β vix dissimilationis causa (μ — ν > β — ν) mutatum esse potest, ut putat Kretschmer KZ 35, 606. Et si Straboni (XIII, 613 C) fides est, Rhodii pro Ἐρεθίμιος, quod tituli præbent (exempla supra p. 31 attuli), Ἐρυθίβιος dicebant[1].

2. γν : δν.

In Ἀριάγνη, forma Attica tituli recentissimæ ætatis I 759 (cfr Ἀριάδνη I 758) γν scriptura est pro nasali gutturali (*Ἀριαŋνη); cfr in vasculis Atticis Kretschmer Vasen. 171 sq., 198; G. Meyer, Gramm.[3] 364; Brugmann, IF V 379 sq. De γίνομαι vide § 7.

3. ν disparuit.

a. Cum in dialecto Argiva aliisque ν ante σ remanserit, apud Rhodios iam antiquitus disparuisse videtur, ita

[1] Mscr. Ἐρυθιβίου vel Ἐρεθιβίου vel Ἐριθιβίου præbent.

ut ante vocales productio vocalis præcedentis efficeretur: τοὺς μάστρους I 677[35] cet. Ante σ et consonam productione non facta ν disparuit in ἐστάλαι I 694[3], ἐστάλα I 3[11], συστᾶ GDI 3749[35], συστρατευσάντων ibd.[80] cet. (cfr Brugmann, Gramm.[3] 74 sq., G. Meyer, Gramm.[3] 356 et supra p. 62). Recentioribus temporibus ν in compositis redintegratum est, velut συνσκάνων I 101[4, 8], συνστρατευσαμένων I 43[19] cet.

b. In sermone populari ν in exitu vocis ante consonas aut debilitatum sonuisse aut omnino disparuisse videtur. In titulis enim recentissimæ ætatis et in amphoris utique non raro omissum est: Ἰάσω(ν) Πυθαγόρα I 4 III[22] (ætate Flaviorum), τὸ(ν) δο[ῦ]λο(ν) I 916[1], μυκρὸ(ν)[7], . . . ναμένο(ν)[4] τὸ(ν) παρα . . .[3], Κο(ν)σταντίνου I 911 (ævi Christiani), ἐλ]αιοθεσία(ν) εἰς I 839[14] (recentiss.). Conferas in titulo Carpath. recentissimo τὴ(ν) νείκην I 979, in titulo Coo alterius fere a. Chr. sæculi ἐνπετό(ν)των PH 5[5]. — In amphoris: Λεο(ν)τίδα I 1162: 2, CIG IV 255 n:o 100 b, Σμι(ν)θίου ISI 2393: 134, Σμί(ν)θιος Mel. I n:o 83, Dumont n:o 120, Χρυσά(ν)θεως Ἀθην. n:o 187 (bis), Αἰσχυλί(ν)ου I 1226: 3; cfr in amphora Cnidia Ἀν]αξά(ν)δρου ISI 2393: 506. Semel ν falso positum est: Δα[μ]ονκλε[ῦ]ς IP 985 pro Δαμοκλεῦς (cfr IP 999 Δαμον-[κ]ράτευς). De nasali in aliis dialectis sublata conferas Kretschmer, Vasen. 161 sq., G. Meyer, Gramm.[3] 381 sq., Schweizer 122.

§ 24. Liquidæ.

λ : ν.

Grammatici antiqui sæpius docent Dorienses ante dentales τ, θ liquidam λ in ν mutasse, cuius rei poetæ ut Epicharmus, Pindarus, Theocritus exempla præbent (Ahrens, Dial. Dor. 110, G. Meyer, Gramm.[3] 242). Quod Siculorum utique proprium fuisse videtur. In nummis Agrigentinis exstat nomen tyranni Gelensis Φιντίας Hist. Num. 108, Cat. Sic. 20. Φιντιάς nomen erat urbis, quæ ab eo condita est (cfr p. 5 sq.). Apud Rhodios nulla euiusmodi mutationis exempla reperiuntur. Immerito igitur Hermann

in chelidonismi versu 1 ἦνθ' ἦνθε correxit, ubi msscr. ἦλθ' ἦλθε præbent. In titulis semper λ servatum est: ἀπελ[θ... I 923[11], Εὐέλθωνος I 298, Εὐελθίδα I 195; ἐλθεῖν præbet Timocr. fr. 1, 4; cfr in titulo Calymnio GDI 3555[3] ἐπελθών. Incertissima est coniectura Hilleri Φί]ντας I 908[1] (cfr Gelder Mnem. 24 p. 95); in titulis alias semper λ : Φιλτός in patera I 719, Φιλτία I 814[2], 744, Φιλτι[άδ]ας I 924[11] cet.; cfr in titulo Cal. Φίλτις GDI 3593[37], Φίλτα ibd.[62], Coo Φιλτάτου PH 47[14].

λ : ρ.

Apud Rhodios hodiernos locus, qui pagus quondam Camirensis erat, Hillero testante (AM 21 p. 62) iam Λέλος iam Λέρος dicitur. Locus ipse commemoratur in titulo primi a. Chr. n. sæculi I 701[12] Λ[έρ]ωι, ubi vestigium litteræ ρ in ectypo conspici potest. Demoticum est Λέλιος, quod exstat I 201[1]. Nomen fortasse Caricæ originis esse, unde alternatio explicetur, coniecit Hiller (AM l. l.). — Τελμεσσέων I 473 Hiller cum Τερμεσσέως I 385, 544 comparat. Sed diiudicare non potest, num ethnica eadem sint, quoniam tituli nihil continent, quo de hac re certiores fieri possimus. Τελμησσός oppidolum Lyciæ prope fines Caricas situm commemorat Strabo (XIV, 3, 4, 665 C), cuius incolæ apud Herodotum (I 78) Τελμησσέες appellantur. Τερμεσσός vel Τερμησσός autem oppidum erat Pamphyliæ (Polyb. 22, 18, 2; Strabo XII, 570, XIII, 630). Incolæ eius apud Strabonem (l. l.) Τερμησσεῖς nominantur[1].

§ 25. Dentales.

τ : σ.

Constat palæogræcis temporibus Indoeur. *t* ante ι et ε in σ transisse. Dialecti Dorienses interdum τ, ubi Attica et Ionica σ, præbent. De qua re egerunt Kretschmer KZ 30, 565 sqq., Goidanich, I continuatori ellenici di *ti* indoeuropeo, Salerno 1893, Brugmann, Berichte d. Köngl. Sächs.

[1] In manuscriptis tamen plurimis locis inter λ et ρ fluctuatur.

Gesellschaft d. Wissensch. 1895, 46 sqq., IF. Anz. 5, 50 sqq., Gramm.[3] 66; cfr G. Meyer, Gramm.[3] 386. Dialectus Rhodiorum a ceteris Doriensium hac in re non discrepat.

a. τ + ι > σ + ι.

1. Feminina abstracta suffixo *-ti* ficta: καταβάσιος I 677[17] (quarti a. Chr. sæc.), πράξιος I 694[7], δόσιος BM III 403[79], ἀναθ]έσεσι I 706[7], στεφάνωσις I 155[27], ἀναγόρευσιν I 847[5], βάσιος I 2[7], αἱρέσιες I 761[39], σιτήσει I 846[6], σίτησιν I 847[8] et alias.

2. Nomina stirpium in τ cadentium suffixis -ιο, -ια ficta: εὐεργεσίαι I 155[45], ἐκλησίᾳ I 3[1], ἀμφισβασιᾶν BM III 403[98], ἀμφισβασίας ibd.[129], καθ' ὑοθεσίαν (exempla § 12); κατενιαυσίου ISI 256[2] Ἀφροδίσιος I 711, cet. Analogia τ in λαρτίας GDI 3749[98] secundum Λάρτος servatum est, ut Co. ἐνιαύτια PH 37[37], αἱματίου ibd.[53] secundum ἐνιαυτός et αἵματος cet.

b. τ servatum est:

1. Semper in terminationibus 3 sg. et 3 plur. verborum: φατί I 33[6], ἀνε]θήκατι I 924[2], δίδωτι I 155[35]; φαντί I 40[10], ἄγοντι I 847[10], 853[8], δεδώκαντι I 847[5], 850[6] aliaque multa.

2. In nomine Neptuni: Ποτειδᾶνος I 705[22] (tertii fere a. Chr. sæc.), 835[2] (alterius fere sæc.), Ποτειδᾶνι I 905[2], Ποτιδᾶνος I 786[11] (recentiss.). Ubi σ exstat, e lingua Ionica vel communi adductum esse potest: Ποσειδάν I 75 a[1] (epigr.), Ποσ(ε)ιδᾶνος Atti 12[2] (tertii a. Chr. sæc.), Ποσειδᾶνι I 809[5] (tertii alteriusve sæc.), 739 (tertii sæc.), sodalicium Ποσειδανιαστᾶν I 164[3], 162[6]. Iam in titulo I 710 quinti vel quarti ineuntis sæc. Ποσ . . .; cfr in nummo Carpathio Ποσ. . Hist. Num. 535 (c. 550—450 a. Chr.). Semper σ præbent nomina derivata Ποσειδώνιος I 195, 127[19], 845[31], 1378, Ποσιδώνιος I 4 II[21] et quater.

3. In nomine mensis Ἀρταμίτιος, cuius exempla supra p. 21 attuli, τ propter Ἀρτάμιτος cet. restitutum est. In Ἀρταμισίου autem amphorarum ISI 2393: 126 b, 153 e lingua communi σ adductum est.

4. In ethnicis Βροκούντιος I 220—2, Θυσσανούντιος I 269—72 secundum stirpes substantivorum, e quibus ducta sunt, τ servatum est. — Communis vel Ionicæ dialecti est Μιλησίου BM III 403[104] (Cret. Μιλάτιοι Cauer, Del.[2] 121 D[17]). — Obscura est glossa Hesychii ἐπουτίς· οὐσία παρὰ Ῥοδίοις.

δ + *h* > ϑ.

Constat in dialecto Attica ab anno fere 378 a. Chr. n. dentalem mediam δ cum spiritu tenuem aspiratam ϑ in οὐϑείς, μηϑείς factam esse (Meisterhans[3] 104 sq., 258; cfr Kretschmer, Vasen. 152). Ex eodem fere tempore sunt exempla Epidauri reperta (Keil, AM 20, 438). Recentiora sunt, quæ in Creticis Pergamenis Aenianis titulis leguntur. (Cfr G. Meyer Gramm.[3] 290, Schweizer 112 sq.). In titulis Rhodiis οὐθείς et μηϑείς a quarto a. Chr. n. sæculo occurrunt: μηϑείς I 677[21] (lex sacral. Ialys. quarti sæculi), GDI 3749[16], (decret. Rhod. a. 220 a. Chr. factum), μηϑέν I 677[23] (et bis); BM III 441[23] (decret. Rhod. circ. a. 200 factum), μηϑενί GDI 3749[11, 81], οὐϑείς BM III 403[99] (iudicium ineunte altero a. Chr. n. sæculo factum), οὐϑέν CIG 3656[9] (alterius sæculi), BM III 403[133] et bis, οὐϑενός BM III 441[26, 87]. In fragmento autem I 763 formulam manumissionis continente, quod ad alterum forte a. Chr. n. sæculum pertinet, legitur οὐδενός. Crediderim formas οὐϑείς, μηϑείς e lingua Attica adscitas esse.

Non satis exploratum est, num apud Rhodios ϑ recentioribus temporibus in spirantem abierit (cfr Ahrens Dial. Dor. 71). Nihil enim est, quod testatur Strabo (XIII, 613 C) Rhodios ἐρυϑίβη dixisse pro ἐρυσίβη, unde Apollinem Ἐρυϑίβιον (= Ἐρεϑίμιον) appellassent. Verisimile enim videtur Strabonem legem illam dialecti Laconum (Brugmann, Gramm.[3] 105), qua ϑ in σ transiit, falso in Rhodiorum dialectum vertentem veriloquium illud finxisse, ut vim cognominis explanaret. Ubi autem φ et ϑ in titulis nonnullis alternant, dubia fide sunt. Φαρσιπόλιος enim in amphora ISI 2393: 272 pro Θαρσιπόλιος facile incuria figuli oriri potuit. Θασηλίτας I 159 pro Φασηλίτας parum certæ lectionis sit.

Incertum est etiam Ἄφωος in amphoris duabus I 1270, quod O. Kern Ἄθωος interpretatus est (cfr Hiller l. l.).

Annot. 1. Corrupta certe est glossa Hesychii Ἐριδίμιος· Ζεὺς ἐν Ῥόδῳ pro Ἐριθίμιος vel Ἐρεθίμιος.

Annot. 2. Νεπτίδος I 209 prava lectio est. Hiller AM 21 p. 63 Νεττίδος in lapide exstare testatur.

δ : ζ.

Videtur antiquitus dentalis media δ spiranti quodam sono a Rhodiis (ð) dicta esse. In titulo enim vetustissimo I 737 τόδ' Ἰδαμενεύς redditur τόζ' Ἰδαμενεύς (⏑ — ⏑ ⏑ —) (Brugmann, Gramm.[3] 109; G. Meyer, Gramm.[3] 269 sq.; Schweizer 106)[1].

τ : δ.

In nominibus mensium Βαδρόμιος et Πεδαγείτνυος sive -νιος interdum τ cum δ alternat: Βατρομίου IP 813, 847, 1177 (ut in titulis Cois PH 27[1, 8], 38[12] et Calymniis GDI 3591 a[26], 3593[38, 41], BM II 318 a[9]). Alias semper apud Rhodios Βαδρόμιος I 1092: 2, 1139: 6, 7, 1152: 5, 1159: 5, IP 812, cet. — Πεταγειτνύου reperitur in Mel. I n:o 111, IP 1049, ISI 2393: 157, AM 20 n:o 5[5] (cfr in titulo Coo PH 36 b[22], in Calymniis GDI 3593[14, 93], 3601). Sæpius tamen Πεδαγειτνύου vel Πεδαγειτνίου (exempla supra § 7). In Πεδαγειτνίου πεδά præpositio eadem vi ac μετά erat. Illa forma etiam in dial. Argiv., Cret., Boeot., Lesb. occurrit[2]. In titulis Rhodiis nisi in hoc nomine non reperitur. πετά autem recentioribus temporibus commixtione cum vulgari μετά facta exstitisse sumunt Meister, Dial. I 118 (qui exstimat τ analogia mensis Attici Μεταγειτνιών fictum esse) et Barth, De tit. Co. dial. 72 aliique. Aliter sed dubium Kretschmer KZ 31, 449. Neque optimo iure Schweizer p. 107 nullis aliis exemplis nec Rhodiæ nec Coæ Calymniæve dialecti nixus sumere mihi videteur cum in Πεταγείτνιος tum in Βατρόμιος τ et δ confusa esse („Verwechslung"). Potius crediderim raram formam

[1] Cfr in dial. El. ϝειζώς, ζαμιοργία Meister Dial. II 52.

[2] De etymo Ahrens Dial. I 152, Osthoff Perf. 574, Schulze, Quæst. ep. 498.

Βατρόμιος etymologia quadam populari (τρόμος, τρομέω?) exstitisse.

Mira est forma, quæ in amphora ISI 2393: 86 legitur, Ἀρζαμιτ[ίου pro Ἀρταμιτίου. Quod fortasse cum rationibus orthographiæ cohæret (T recentioribus temporibus interdum Z simile factum est).

§ 26. Gutturales.

1 Consona velaris ϙ semel in vasculo vetustiore occurrit: ϙοσμία I 718 (Kirchhoff, Stud.[4] 49). Contra in patera Camirensi I 719 κύλι+ς non apparet (G. Meyer, Gramm.[3] 263).

2. χ pro κ in nomine mercatoris Θεσμοχρίτου I 1312 legitur, ubi χ aspiratione consonæ ϑ præcedentis syllabæ adductum est (cfr in vasculis titulisque Atticis Χόλχος, cet. Kretschmer, Vasen. 149 sqq., Meisterhans[3] 103 sq. et alias G. Meyer, Gramm.[3] 282). — De Ῥυνχίδας pro Ῥογκίδας cfr supra § 8.

3. κ pro χ.

Ἀριστομάκου pro -χου in amphora ISI 2393: 129, quod Kaibel "editionis vitium" existimat, fortasse defendi potest scriptura amphorum Cnidiarum: Λάκης Dumont 286 n:o 92, Μόσκου ibd. 321 n:o 153, Πολυκάρ[ε]υς ibd. 244 n:o 94, Πολυκαρμ . . . ibd. 353 n:o 109. Eiusmodi exempla etiam in nonnullis dialectis Asiæ inveniuntur (Schweizer 115).

4. In epigrammatis duobus tertii vel quarti p. Chr. n. sæculi occurrunt Βάχχου I 780, Βάχχω I 781, quæ Atticæ formæ sunt; de χχ vide G. Meyer, Gramm.[3] 288, Schweizer 114 sq., Schmidt KZ 32, 341 sq., Meisterhans[3] 76, Kretschmer, Vasen. 174.

§ 27. Spirantes.

1. Ϝ.

Cum apud Argivos aliosque Dorienses digamma diu retentum sit, apud Rhodios non sine auctoritate credo vicinæ Ionicæ dialecti iam mature evanuisse videtur. Nam

ne in vetustissimis monumentis quidem litteratura epichorica incisis vestigia eius restant: Μενέλας in vasculo Euphorbi; κλέος, ποίησα præbet titulus I 737, Ἰδαμενῆος I 904, Ἀστυοχίδα aryballus Camir. I 720, καλᾶς patera Philtus I 719. — Haud aliter in titulis vetustissimis Gelensibus et Agrigentinis: Εὐ+ένο Notiz. 1900, 281; Διό[ς in lamina Pantaris IGA 512; ἐποίε Notiz. 1896, 254. Mirum igitur est, ut in hoc titulo gen. Πασιάδαϝο reperiatur, quocum iam Sabinas, qui titulum edidit, Corcyr. Τλασίαϝο GDI 3188[1] comparavit. Crediderim de hac forma non aliter iudicandum esse, quam fecit Blass GDI 3188: "Τλασίαϝο halte ich für eine Dorisierung des epischen Genitivs, nicht für eine wirkliche dialektische Form". Aliter Gelder GDI 4247. Cfr præterea Danielsson, Eranos 2, 14, Buch Class. Rev. 1897, 190 sq., 307 sq.

2. Σ.

Ante consonam sonantem σ ipsum sonans factum esse ζ (= z) pro σ scriptum docet, quod amphoræ præbent: Ζμινθίου IP 801, 865, 930, I 1149: 8, 1262, 1355: 4, Ἀθην. n:s 50, 167. Quam parum apta ad eum sonum exprimendum vulgaris scriptura Σ fuerit, videre licet in ΣΤ.ΛΜΙΝ . . ΟΥ (= Σμινθίου) ISI 2393: 117, ubi figulum incertum fuisse, quomodo sonum redderet, manifestum est. — Eandem naturam σ etiam in dialectis Calymniorum et Coorum aliorumque habebat: Ζμένδρων GDI 3593[93] (Cal.), PH 10 d[14, 80] (Co.), Δαμοκόζμου (nomen Rhodii) PH 49 a[5,7] (Co.) (G. Meyer, Gramm.[3] 302 sqq., Blass, Ausspr.[3] 89).

ζτ pro στ in amphoris nonnullis: Ἀρίζτωνος IP 925 (altero ante Chr. n. sæculo non recentior; cfr in titulo Coo ΚάΖτορος PH 338), Θέζτορος IP 1033 (eiusdem ætatis) analogiæ falsæ talis sripturæ, qualis est in Πελαζγικόν Ζμένδρωνος Ζμινθίου, originem debeat.

Interdum σ scriptum non est. Ita in vetustissimo titulo I 737 Ζεὺ δὲ pro Ζεὺς δε, quod Meister AM 16, 357 ita intellexit, ut σ ante consonam sonantem sonans factum (z) cum ea assimilatum sit (Ζεὺ(δ) δὲ). Nec aliter in ματρὸ(ς)

δὲ ξένας tituli I 766 B[13] et ut videtur ibd.[14] (tertii fere a Chr. n. sæculi) et in τᾶ(ς) δευτέρας ISI 256[1] (Gelæ) factum probabile mihi videtur.

In amphoris haud raro in exitu nominum ς omissum est. Κλευκράτ[ε]υ(ς) I 4 II[58] (primi p. Chr. n. sæc.); in amphoris: Ἀριστίωνο(ς) I 1250: 10, Ἀρχοκράτευ(ς) I 1111: 6 ubi, quamquam spatium in amphoris sufficit, littera scripta non est. Propter spatium exiguum omissum esse potest in: Ἀγαθοκλεῦ(ς) IP 771, Δαμοκράτευ(ς) IP 998, I 1277: 1, 3, 4 Ἀριστοκράτευ(ς) J. Ph. V n:o 15, Ra 15 p. 319 n:o 22, Καλλικράτευ(ς) IP 1053. Plura eiusmodi exempla in amphoris Thasiis Cnidiisque et alias in dialectis inveniuntur. Tamen omnia, quæ affert G. Meyer, Gramm.[3] 396 sq., prorsus certa putanda non sunt. Certa sunt in amphoris Cnidiis Ἀριστοκλεῦ(ς) Dumont 163 n:o 131, Δρα.... ομένευ(ς) ibd. 138 n:o 72, Ἑρμοκρ[ά]τευ(ς) ibd. 190 n:o 290. De ceteris omnibus propter spatium deficiens diiudicari nihil potest. Hæc omnia significare videntur ς in exitu vocis interdum in sermone aut attenuatum aut omnino non auditum esse.

σσ : ττ.

Semper σσ (= Att. ττ) in titulis Rhodiis exstat: τασσομέν[ω]ν I 761[10], πράσσοντι I 677[12], ἔλασσον I 1[5], ἐλάσσους GDI 3749[20], ἐλασσόνων ibd.[19], θάλασσαν GDI 3749[55], Ἁλικαρνασσεύς I 103[4], Ἁλικαρνασσίδα I 156[3], Θράισσας I 545, Μέλισσα I 688, (G. Meyer, Gramm.[3] 367 sq., Schweizer 125 sq.). — De σσ pro σ vide § 31, 32.

§ 28. De spiritu.

a. Spiritus asper.

1. In titulis litteratura epichorica incisis spiritus asper signo proprio notatur: *ho* IGA 482 c, i; Notiz. 1900 p. 281 (Gelæ); *hόκα* IGA 482 i, *hίνα* I 737 (iuxta ὅστις).

2. In recentioribus, ubi litteræ Ionicæ usurpantur, ante spiritum asperum semper consona tenuis in aspiratam mutata est: οὐχ ὅσιον I 677[9, 19], ἐσθ' ὅδε AM 21 n:o 11[2] (epigr.); ἀφ' οὗ BM III 403[155] et alias sexies, ἀφ' ἅς GDI 3749[17] et

sæpe alias, ἐφ' ἅν BM III 403[22], ἐφ' ὅν ibd.[160], ἐφ' οὗ AM 21 n:o 51[16], BM III 403[160], καθ' ἕκαστον I 155[86] et quater, καθ' ἑκάσταν ibd.[23] καθ' ἅ I 761[41], GDI 3749[6] et alias sæpissime, καθ' ὑοθεσίαν I 42[6, 10] et sæpissime, καθ' ὅν BM III 403[71] et ter, καθ' ὅ GDI 4259[11]; ποθ' αὑτάς GDI 3749[86], ποθ' αὑτούς BM III 403[129], ὑφ' αὑτόν BM III 441[75] et alias, in καθότι GDI 3749[51] et sæpius, καθάπερ GDI 3749[17] et alias sæpe. In compositis: πόθοδον GDI 3749[6], ποθόδους ibd.[13] et alias, ἀφικόμενος ibd.[93]; ἀφικομένων GDI 4256[3] (Agrig.), ἐφήβων ISI 256[12], ἔφηβοι ibd.[36] (Gelæ); καθεστακυῖαν GDI 3749[13], καθύπερθε I 75 a[2] (epigr.), καθέδρᾳ I 83[5], ἀνθύπατοι I 48 b[2], Ἐφάρμοστος I 47[18] alia multa. — De οὐθείς, μηθείς vide § 25.

b. Psilosis.

1. Iam in titulis litteris epichoricis exaratis spiritus interdum vacat. Ἕκτορ est in vasculo Euphorbi ut in duobus vasculis Corinthiis (Kretschmer, Vasen. 49). Kretschmer l. l. 9 analogiæ verbi ἔχω spiritum neglectum attribuit. ὅστις (iuxta *hίνα*) habet titulus vetustissimus I 737. Abest spiritus asper articuli ἁ bis in patera Philtus I 719, quod etiam aliæ dialecti præbent (G. Meyer, Gramm.[3] 323 sq., cfr Kretschmer, Vasen. 155).

2. Omnium, ni fallor, dialectorum Græcarum communis est psilosis in nominibus cum ἵππος (Sscr. *áçva-* Lat. *equus*, Ieur. **ekuos*) compositis. Apud Rhodios: Κράτιππος I 36[1], Ἀρίστιππος I 46[138], Στ(ρ)άτιππος I 347[2], in quibus ut veriloquio apparet, psilosis recte se habet; cfr in titulo Argivo IGA 30[5]: Ἰπομέδον.

3. Exemplis nonnullis exceptis tenuis antecedens in aspiratam ante ἱερεύς mutata non est in formula: ἐπ' ἱερέως, cuius rei passim et in titulis et in amphoris testimonia exstant, velut I 155[1], 88[8], 924[22], BM III 403[34], IP 778, 786, 955 cet. Quæ cum ita sint, ἐφ' ἱερέως in amphoris Ἀθην. n:o 167, CIG III præf. n:o 422 dialecto communi tribuendum est (Thumb, Unters. über den spir. asper 24). Etiam in nominibus propriis psilosis est: ἐπ' Ἱέρωνος I 1149 (novies)

IP 1046. Quamquam, quod ad Rhodios attinet, psilosis auctoritate Ionum adduci potuit, tamen si ad etymologiam spectas (< ***isəros*, cfr § 1), psilosis primigenia videtur; conferas in titulis Epidauriis ἐπ' ἰαρέος (Keil, AM 20, 416); ἰαρομνάμονας procul dubio in titulo Mycenæo Ἐφημ. Ἀρχ. 1892, 67 legendum est; in aliis dialectis cfr G. Meyer, Gramm.[3] 158. Quam ob rem fieri potest, ut Rhodii psilosin ab antiquis temporibus traditam retinuerint, postquam lingua communis valere coepit.

Editores ἁμέ BM III 403[22], ἁμῶι ISI 952[11] (Agrig.) ἁμᾶι ISI 612[2] (Regii) spiritu aspero scribunt. Ex locis ipsis allatis, cum tenuis spiritum non præcedat, de hac re enucleari nihil potest. Verum cum titulus Carpathius I 1031[9], qui ad ea tempora (secundum a. Chr. sæculum) pertinet, quibus insula cum Rhodo coniuncta erat, ὑπ' ἀμῶν præbeat, quocum comparanda sunt Co. μετ' ἀμῶν PH 8[5]; Epidaur. κ' ἀμῶν, GDI 3342[26], Sym. ὑπ' ἀμῶν IGI III 6[8], Anaph. κατ' ἀμέ ibd. 253[1], cumque ab origine spiritus non fuerit, (ex **n̥smo-* cet., Sscr. *asmá-* ducitur), verisimile est Rhodios pronomen illud psilosi dixisse. Incerta est emendatio ὑφ' [ἁμῶν] BM III 403[24].

Allatis apparet in Rhodia ut in aliis dialectis Græcis iam antiquitus inconstantiam in spiritu aspero scribendo fuisse. Qum ob rem verisimile est eum in sermone interdum exiliter dictum esse. Quam diu in dialecto remanserit, constituere difficile est. In titulis litteratura Ionica inaratis mos vetus tenuem ante asperum in aspiratam mutandi facile manere potuit, etiam cum ex sermone omnino evanuisset. Cum vero ante asperum aspiratio præcedentis tenuis, exceptis iis, quæ alio modo explicari possunt, a. Chr. n. nusquam absit, probabile videtur ante hoc tempus asperum non omnino sublatum esse[1]. In ea parte litteræ Neronis, quæ lingua communi conscripta est, exstat τ' ὧν AM

[1] Aliter de hac re Hiller AM 20, 391, cfr G. Meyer, Gramm.[3] 322 sq.

20 n:o 5^{18}, quod Hiller l. l. 391 scribæ Rhodio tribuendum censet. Etiamsi ita res se habet, hoc ad priora tempora referre necesse non est. Cur enim καθ' ὑοθεσίαν consona aspirata semper scriberent, si κατ' ὑοθεσίαν dicerent? Mirum enim, si ita esset, numquam hanc scripturam occurrere.

Communis linguæ autem est spiritus in τεσσαρακαιδεχέτηι epigrammatis, Revue des études grecques 9, 424, et in καθ' [ἔτος AM 25 n:o 108^2 (primo a. Chr. sæculo vix antiquior). κατ' ἔτος autem præbet titulus recentioris ætatis I 839^{30}. De spiritu illo egit Schweizer 119 sq.

§ 29. ζ, ξ.

1. ζ.

Videtur antiquitus ζ apud Rhodios non σδ sed spirans lenis (z) sonuisse. In titulo enim antiquissimo I 737 ζ pro δ positum est: σᾶμα τόζ' (= τόδ') Ἰδαμενεύς (‿ ‿ – ‿ ‿ –), ubi metri causa σδ valere non potuit[1]. Quod optime convenit ad ea, quæ disputavit Lagercrantz, Zur griechischen Lautgeschichte, Upsala 1898 p. 125—149. Eiusdem soni recentioribus temporibus testimonio sunt scripturæ Ζμίνθιος cet. de quibus supra (§ 27, 2; cfr præterea Lagercrantz l. l. 147 sq.). Commemorandum est etiam Ἀσζωτίς I 406, quod "semiticam formam *Ašdōd* optime reddit" (Hiller), itaque ζ sono spiranti prope ad δ appropinquante (cfr supra τόζ') i. e. fere z Rhodii dicebant. Si autem ζ = σδ esset, cur σζ neque simplex ζ scriberent (cfr Lagercrantz l. l. 131).

2. ξ.

Saussure (Mem. soc. ling. 7, 90) regulam proposuit ψ, ξ, si ante consonas *s* amiserunt, φ, χ facta esse (ad quam optime conveniunt ea, quæ disputavit Kretschmer AM 21, 425). Apud Rhodios ξθ > χθ occurrit in ἐχθέμειν I 694^3, quocum comparanda sunt in titulo Telio ἐχθυόμενα IGI III

---

[1] Quod ζ in epigrammate I 33: ἔθετο ζάκορος (‿ ‿ – ‿ ‿ –) positionem efficit, poetarum consuetudini attribuito.

30[11], in Cois ἐχθύματα, ἐχθυσεῦνται, ἐχθύσαντες (Barth, De tit. Co. dial. 75).

χ pro ξ.

In nota mercatoris a dextra ad sinistram inarata I 1401: 2 legimus Τιμοχ[έ]νου pro Τιμοξένου, quod lapsu quodam inculcatum ad existimandum propensus essem, nisi in nummo Coo, si credere licet Mionnetio, Descr. Suppl. VI p. 570 n:o 54, Δαμόχενος pro Δαμόξενος exstaret. Quomodo χ pro ξ intelligenda sit, nescio.

§ 30. De assimilatione consonarum vicinarum.

1. ν + consona.

a. Ante consonas labiales in compositis ν semper in μ mutatum est in titulis, qui secundo a. Chr. sæculo vetustiores sunt: συμμαχίαι GDI 3749[36], συμμάχους ibd.[11], ἐμφανιζέτω ibd.[91], Ἐμπρέπων I 764[93]. — Ab altero a. Chr. n. sæculo tamen eo tendebant, ut in compositis nasalem non aliter atque in vocibus simplicibus scriberent: συνβίου I 393[3] (alterius fere a. Chr. n. sæculi), σύνπαντα I 852[7] (primi fere a. Chr. sæculi), 847[15], σύνπαν I 849[16], συνβουλεύσαντα I 58[2] (primi p. Chr. sæculi), συνφέροντα ibd.[3], σύνπαντα ibd.[7]. Quid, quod etiam falso ponebant et in simplicibus vocabulis et in compositis: Ξενόνβροτος I 42[20] (primo a. Chr. sæculo), πονπάς I 762 A[9], Θεόπονπον I 90[4] (primo a. Chr. sæculo), Ξεν]ονβρότου, Hermes 36 p. 443 II[3], Πασινβρότη I 313, Ἀλεξινβροτίδαν I 2[9], Ἀ[ρ]ιστονβοτίδα ISI 2393: 131 (amphora), λανβανόντω I 155[53] (altero a. Chr. n. sæc.), alia exempla multa.

b. In exitu vocis ante π, β, φ, μ sequentis vocabuli: τὰμ πόλιν BM III 403[81] et ter, τῶμ ποτηρίων I 764[2], τάμ ποκα I 147[1], (epigr.), τὰμ φάραγγα BM III 403[162], τὸμ πίνακα I 914[2] (epigr.), τὸμ βασιλῆ BM III 403[150], τὸμ πατέρα Atti n:o 10[3, 4], τὰμ μὲν BM III 441[91], ἐμ πᾶσι I 155[13], ἐμ πόλει I 96, ἐμ μηνί I 155[68], μίαμ μὲν I 677[14], ἐπιμέλειαμ ποιούμενος BM III 441[18]. Alias assimilatio signata non est, quamquam sine dubio in sermone audiebatur: τὰν πόλιν GDI 3749[1],

τούτων μηθέν I 677^{25}, ὅσιον μηθέν ibd.^{26}, νόμον ποήσηι ibd.^{27}, ταμίαν παρέχειν I 694^{12}, cetera abunde.

c. ν ante gutturales > γγ, γκ, γξ. In compositis ante alterum a. Chr. sæculum semper: ἐγκολάψαι I 694^{9}, συγκατασκευάζειν BM III 441^{19} cet. — In exitu vocis: ἄγ κα GDI 3749^{73}, τὰγ χώραν BM III 403^{152}, τῶγ γεγονότων BM III 441^{11}, ἀστοῖσιγ Ξενόφαντος I 40^{8} (epigr.). Plerumque tamen assimilatio signata non est.

Ab altero a. Chr. n. sæculo ν: συνγενεῖς BM III 441^{4} (ineunte altero sæculo), συνκληρωσάτω I 3^{10} (primo a. Chr. sæc.), σύνκλητον I 58^{8} (primo p. Chr. n. sæc.), συνκλητικῶν, συνγενής I 786^{19} (iuxta συγκλήτου ibd.^{18}), alia multa.

d. νλ > λλ non nisi in compositis exstat: συλλόγωι I 155^{60}, 890^{17}, ἐλλείποντι CIG 3656^{9}. Iterum compositum est in συνλεγέσθων I 694^{16}, (tertio sæculo non recentior), συνλ[όγωι I 922^{16}.

e. νρ > ρρ: in ὅρρα (= ὃν ῥα) I 142^{3} epigr.

2. Liquidæ ρ cum σ coniunctio.

ρσ plerumque assimilatione affecta non sunt: Θαρσύτας in nummo Cat. Car. 242, Θαρσιπό[λιος I 49^{56}, 1134, Θαρσίπονος I 764$^{21, 41}$ (tertii sæculi), Θαρσιλαΐδα I 764^{5}, Θαρσίλειοι I 695^{27} (eiusdem ætatis), Θαρσυβίου I 49^{28}, Θερσίππου I 1138, Θερσάνδρου I 1137: 1—7 cet., Χερσία I 925^{10} (tertio sæculo non recentior), 46^{67} (primi a. Chr. sæculi), χέρς Timocr. fr. 4. — Interdum ρρ: πορρόν I 892^{5} (*πορσο?)[1], Τυρρανούς AM 20 n:o 1^{8} (tertii a. Chr. sæculi; < Τυρσανούς)

3. Consona explosiva + consona.

Ante consonas sonantes (ρ, λ, γ, δ) explosiva sonans fit, i. e. in mediam transit.

κγ > γγ: Antiquitus ἐγγόν[ω]ν I 791, 798, ἔγγονοι I 773 et sæpe alias. Recentioribus temporibus ἐκγόνου I 839^{16} (primi fere post Chr. sæc.).

---

1 Cfr Solmsen, Untersuchungen zur griech. Laut- und Verslehre 309.

κδ > γδ : ἐγ δέ I 694^{13} (tertio sæculo non recentior).
κλ > γλ : ἐγ λ . . . I 891^{2} (alterius a. Chr. sæculi).
κμ > γμ : ἐγ μεγάλου I 742^{4}, ἐγ μακάρων I 33^{6} (epigr.).

§ 31. De consonis geminatis.

In titulis vetustissimis consonæ numquam duplices scriptæ sunt: Ἀπολω(μ)ίδα I 887, Ἁγησίπου I 798 (quarti sæculi), Ψαματίχο[ι IGA 482 i (cfr 482 a), Χρυσίπο ISI 263.

In titulis post quartum a. Chr. sæculum factis in consonis simplicibus aut geminatis reddendis vulgo ab communi ratione non discrepant. Ubi id factum est, nunc disseram:

μ: εἴμμειν I 155^{100} ab initio incisum videtur, deinde alterum μ erasum est. Unum μ præbet: γραματεύς I 7^{9} (recens), συμαχία GDI 3749^{88}.

ν: Duplex scriptum in Ἐννοδ[ίαι] I 914^{2} (epigr.).

λ: Simplex scriptum: Ἑλανίκου I 4 II^{18} (primi post Chr. n. sæc.). Καλιάνακτος Atti n:o 22, Ἀπόλωνος I 732^{9}. —

ρρ : ρ. Variant nomina cum ροδο- composita, nunc simplex nunc duplex ρ præbentia. Duplex in: Ἁγησιρρόδης I 567, Ἀ[γλ]ουρρόδη I 332^{1}; Τιμουρρόδου Ἀθην. n:o 175 (sexies), I 1198 (sexies), AM 21 p. 57 n:o 22, Τιμορρόδου Ἀθην. 175, I 1198: 8. Simplex autem in: Ἁγησιρόδη I 111^{3}, 184^{4}, AM 21 p. 51 n:o 44; Τιμουρόδου I 1198: 5, 6 CIG IV p. 257 n:o 153, ISI 293: 9 a, 492, 490 a, Τιμορόδου CIG IV p. 257 n:o 152. — In verbis ἐπιρεζέτω I 677^{29}, at ἐρρῶσθαι I 147^{5} (obs. ⏑ —).

π: Simplex scriptum est in: Πάπου I 2^{2} (a. 53 p. Chr. n.), Κάλλιπος in nummo Cat. Car. 249 (circ. 304—166 a. Chr. n.), I 46^{324} (primo a. Chr. sæculo), Ἱποκράτευς J. Ph. X 212 n:o 15, Ἁγησίπου I 798 (quarti vel tertii a. Chr. sæc.).

κ: ἐκλησία I 3^{1} (ætatis Flaviorum); cfr ἐκλησίας BCH 17, 54 n:o 5^{2}.

γ pro γγ in ἐγενής pro ἐγγενής in titulo recentioris ætatis I 755. Cfr ἐγό[νους pro ἐγγόνους, BM II n:o 241^{10}.

σ: Simplex scripta est consona sibilans in Ἁλικαρνασεύς I 250 a^{3} (alterius fere sæculi), 766 B^{16}, Ὑγασέως I 197^{4}, Ὑγασίς I 295^{2}, 296, 298, Ὑγασίδος I 297, 299, Ὑγασέος I 297^{1}, Ὑγασέ[ων I 950^{5}, Ὑγασῆ Atti n:o 6^{4}, at Ὑγασσεύς I 294, Ὑγασσέως I 300. — B]υβάσιος AM 21 n:o 16 (altero fortasse a. Chr. n. sæc.); cfr Βυβάσσιος I 262, 263; εἰστάλαν I 890^{23} (et fortasse I 1^{7}) pro εἰς στάλαν scriptum est. — ταστιβάδος = τᾶς στιβ. I 786^{21}. Παρμενίδος (σ)τᾶσεν (⏑ ⏑ –) in epigr. I 142^{5}.

§ 32. De divisione syllabarum.

Plerumque in titulis divisio syllabarum exeunte versu evitari solebat, ita ut versus, ubi fieri poterat, vocibus plenis concluderentur. Ubi divisum est, plerumque cum regulis ab grammaticis antiquis traditis usus titulorum congruit (Kühner-Blass, Gramm. I 349 sqq.). De divisione hæc annotanda videntur:

1. In compositis semper in compage dividitur: ἐπι | στάται I 922^{13}, προσ | χάραιος I 791 cet.

2. Ubi consonæ geminatæ sunt, ad suam quæque syllabam refertur: Βάσ | σου I 648, πράσ | σοντι I 677^{12}, συμπρασ | σόντων GDI 3749^{49}, ἐπαν | γέλλωνται I 762 A^{20}.

3. Una consona semper ad syllabam posteriorem refertur. Cui regulæ tamen repugnat αὐτ | οῦ I 652^{3}.

4. Si consonarum plurium prima nasalis aut liquida est, priorem syllabam sequitur: ἀνδριάν | των I 58^{14}, λαμ | προτάταν I 92 a^{5}, Ἀλεξ[αν] | δρῆ I 155^{16}, μεταλλάξα[ν] | τι ibd.^{25}, ἄρχον | τες ibd.^{30}, ζών | των I 648; εὐο[ρ] | κεῦντι GDI 3749^{89}, ὑπ[αρ] | χοὐσας BM III 441^{86}, φιλοστορ γίας I 72 b^{17}, alia.

5. τν divisa non sunt in: Ἱεραπυ | τνίων GDI 3749^{33}; iuxta Ἱεραπυτ | νίων ibd.^{63}, Ἱεραπυτ | νίοις ibd.^{65}.

6. Contra regulam: nulla syllaba in aspiratam desinit (velut δεδό | χθαι I 761^{43}) peccat κατακεχ | [ωρισμέναι BM III 403^{154}.

7. In serie σ + consona ad priorem syllabam σ refertur: *αἰτησάσ | θω* I 890^{19}, *ἐλ[έσ] | θω* GDI 3749^{86}, *ἐρανισ | τᾶν* I 9^{3}, *ἀμφεσ βατήκειν* BM III 403^{129}, *παρείσ | [χ]ηται* I 922^{12}.

σσ pro σ.

Sæpe in monumentis σ duplicatum est, præsertim si tenues vel aspiratæ sequuntur: *προσσ[χάραιος* I 797 et propter spatium fortasse etiam I 798, *προσ[σ]χάραιος* I 799 (tituli omnes ad quartum vel tertium a. Chr. sæculum pertinent), *κατασσπείσας* I 762 B^{13}, *Ἀθαναισστᾶν* I 937^{3} (primi fere p. Chr. n. sæculi), *ἐρανισστᾶν* ibd.^{9}; in amphoris *Διοσσθήου* Ἀθην. 231 n:o 2, *Ἀρισστά[ρχου* CIG IV p. 253 n:o 47, quibuscum comparanda sunt titulorum Calymniorum *ἀσσπο[νδεῖ* GDI 3587 a^{2}, *Λεωσστρά[το]υ* GDI 3590^{39} et in titulis Cois ea quæ, attulit Barth, De tit. Co. dial. 74. Etiam in exitu vocum duplex σ scriptum est: *ἰσς τὸν, ἰσς τὰ* I $937^{5,7}$, in amphoris duabus: *Ἀρίστωνοσ ς Υα<ι>κινθίου* IP 931 (cfr Calymn. *Ξενόχαρισς Λεωσστράτου* GDI 3590^{39} et apud Coos *Χαιρέασς Ἀριστοκλεΐδα* PH 10 c^{60}, *ἐσς Ἀλκηΐδας* PH 37^{60}). — Semel *νάσσωι* in titulo Rhodio I 701^{1} (litt. apicat.). — Hæc duplicatio in plurimis dialectis Græciæ reperitur (cfr G. Meyer, Gramm.^{3} 304 sqq., Brugmann, Gramm.^{3}, 118, 131, Meisterhans^{3} 89 sqq., Schweizer 132 sq., ubi alia invenies). Rem illi ita intelligunt, ut Græci incerti, utrum σ ad priorem an ad posteriorem syllabam referendum esset, terminum syllabarum in σ posuerint, qua re consona quodammodo divideretur.

§ 33. ν ἐφελκυστικόν.

Tituli litteratura epichorica inarati ν ἐφελκυστικόν, quod vocatur, carent: *ἔγραφε ho* IGA 482 c (Abu-Simb.), *ἀνέθεκε Ἀντιφάμοι* Notiz. 1900, 274.

In recentioribus titulis litteratura Ionica insculptis, qui soluta oratione compositi sunt, cum ante consonas tum ante vocales vocum sequentium, tum in fine enuntiationis ν iam ponunt iam — et id plerumque — omittunt.

Ante consonas: πᾶσιν τοῖς I 761^{46} (ineunte tertio a. Chr. sæculo), at ἔδοξε μάστροις ibd.^{1}. — In excerpto decreti Rhodii, GDI 3751 (ineunte altero a. Chr. sæc.) Rhodi quidem non inciso legimus: ἔδοξεν τῶι (v. 8) sed ἔδοξε τᾶι βουλᾶι (v. 10). — Decretum Rhodiorum BM III 441 (circ. a. 200 a. Chr. n.): ἔ]δοξεν τῶι (v. 4), sed ἄρχουσι τοῖς (v. 85). Plerumque tamen ante consonas non exstat: ἔδοξε Καμιρεῦσι τὰς I 694^{1} (tertio sæculo non recentior), ἔδοξε τοῖς I 677^{1} (quarti sæculi), ἔδοξε τῶι GDI 3749^{1}, πᾶσι καὶ ibd.^{3}, πόλεσι διαπρεσβευσαμέναις ibd.^{85}, τέσσαρσι τοὶς ibd.^{25}, ἀνέθηκε [Διο]νύσωι I 155^{115}, παναγύρεσι κάθ' ἕκαστον I 848^{5}, 849^{10} alia.

Ante vocales: δυσίν, εἰκόνι I 680^{3}, διέλεγεν ἀκολούθως BM III 441^{14}, ἔτεσιν. ἀφ' ἁς GDI 3749^{25} sed ἥρωσι, ὅσοι ibd.^{3}, πόλεσι ἀναγραφῆι ibd.^{98}; ἐπιχύσεσι ἐπὶ I 155^{121}, δυσὶ ἐν ibd.^{49}, ἐσ[τι ἀπὸ BM III 403^{89}, ἐστι ὑψηλότατος ibd.^{164}, ἐτίμασε Ἀπολλόδωρον I 867^{1}. In fine enuntiationis ν plerumque omissum est: εἶπε I 677^{2}, 155^{2} et alias, ἐποίησε I 818^{10}, 819^{35} et alias sæpissime. Raro ν: ἐποίησεν I 63^{4}, καθιέρωσεν I 39^{5}.

§ 34. De elisione vocalium.

Concursus vocalium duarum vocum in oratione soluta elisione plerumque non evitatur, etiam ubi facile id fieri potuit: οὐδὲ ἐσοδοπορεῖν I 677^{11}, οὐδὲ ἐσφέρειν ibd.^{19}, δὲ ὑπὲρ ibd.^{16} aliaque multa. Elisione affecta non sunt alia vocabula nisi ea, quæ cum sequenti proxime cohærent, ut præpositiones aliæque particulæ nonnullæ.

Elisa sunt:

ἀπό: ἀφ' οὗ BM III 403^{155} et alias sexies, ἀφ' ἇς GDI 3749^{17} et sæpius.

διά: δι' αἰῶνος I 839 I^{10} et bis.

ἐπί: semper fere in formula ἐπ' ἱερέως, cuius exempla supra p. 81 relata invenies. Rarissime ἐπὶ ἱερέως GDI 3751^{1} et bis, et in amphoris Ἀθην. n:o 16, 6, Mel. I n:s 42, 84 b, IP 950, 1215; cfr J. Ph. V n:o 2 ἐπὶ ἱρέως. — Alias ἐπ' ὠφελίᾳ I 832^{5}, ἐπ' εὐθείας BM III 403^{165} et bis,

ἐπ' Ἀντιόχου ibd.[151], ἐπ' Ἀντι[γόνου? ibd.[149], ἐφ' ἂν ibd.[22], ἐφ' ὂν ibd.[160], ἐφ' οὗ AM 21 n:o 51[16], BM III 403[160], ἐπ' ἀρετᾶι AM 25 n:o 107[11]. In amphoris non elisum est nisi in ἐπ' Ἰάσον[ος I 1146, ἐπ' Ἱατ[ροκλεῦς I 1147, ἐ]π' Ἱεροκλ[ε]ῦς I 1148, ἐπ' Ἱέρωνος I 1149: 1—10, IP 1046; cfr ibd. 1040—49.

κατά: Semper in formula καθ' ὑοθεσίαν I 16[4], 42[6, 10] cet. exceptis locis I 88[2] (statua primi a. Chr. sæculi) et AM 23 n:o 68 (elogium alterius sæculi); καθ' ἑκάσταν I 155[23], καθ' ἕκαστον ibd.[86] et quater, in καθ' ἅ I 761[41] et sæpissime, καθ' ὃν BM III 403[71, 97, 114, 115], semper in καθότι BM III 441[12] et alias, καθ' ὅ GDI 4259[11], κατ' ἔτος I 839[30], κατ' ἐνιαυτόν Atti 12[6], κατ' ἴσον I 832[11].

μετά: μετ' α[ὐτοῦ I 41[8], μετ' ἐνιαυτόν BM III 403[83].

παρά: παρ' αὐτοῖς I 58[18] et semel, παρ' αὐτῶν GDI 3749[42] et semel, παρ' αὐτάν BM III 403[170].

ποτί: ποτ' ἀσφάλειαν GDI 3749[63], BM III 441[83] et semel, ποτ' αὐτούς BM III 403[71] et quinquies, ποθ' αὐτούς ibd.[129], ποθ' αὐτάς GDI 3749[86], ποτ' αὐτὸν I 832[19].

ὑπό: ὑπ' αὐτῶν I 58[16] et semel, ὑπ' αὐτοῦ I 155[48] et semel, ὑφ' αὐτόν BM III 441[75], ὑφ' . . . BM III 403[24].

ἀλλ' ἀμφισβασίας BM III 403[129], ἀλλ' [ἔχ]ειν ibd.[113], ἐνέ' ὀβολούς GDI 3749[27].

A probabilitate non abhorret in sermone vocales multo sæpius elisas esse, quam scribendo exprimebant, cum in titulis soluta oratione compositis vocales iam eiectæ sint, iam non: οὐδ' ἀποστεῖλαι, sed δὲ ἀπεδείξαμεν BM III 403[128, 158], ἐννέ' ὀβολούς GDI 3749[27], sed δὲ αἱρεθεὶς, δὲ εὑρόν ibd.[93, 99], ποτὶ Ἱεραπυτνίους ibd.[93], sed ποτ' ἀσφάλειαν ibd.[63]. Iam in versu, quamquam metrum eiectam vocalem postulat, plene scriptum est: δὲ ἄγγελλε I 147[5], quod legendum δ' ἄγγελλε, τόνδε ἀνέθηκα I 914 = τόνδ' ἀνέθηκα.

§ 35. Haplologia vel dissimilatio syllabarum.

Interdum in sermone tota syllaba, quæ eandem consonam initialem ac vicina habebat, transsilitur (Brugmann, Gramm.[3] 134 sq.): Δαμητίδαι I 695[71], quod Bechtel BB 21,

235, ex *Δαμομητίδα ducit, Δαμήδης I 50^{16} (< *Δαμομήδης Bechtel l. l. 227); `Αλεξείνου I 766 A$^{7}$ (< `Αλεξιξείνου cfr Ross. Archæol. Aufs. 2, 606 n:o 18); ὅκκα I 694^{17} (< ὅκα κα iam Ahrens, Dial. Dor. 383). Forsitan huc referendum sit etiam Πειστράτου loco Πεισιστράτου amphoræ Mel. I 430 n:o 94.

§ 36. Metathesis vocalium vicinarum syllabarum.

Ἰακυνθίου præbent vascula duo IP 914, 977, quocum comparandum est Ἰακυνθοτρόφος titulorum Cnid. GDI 3502^{12}, 3512^{1}, Μιτυλήνηι Schweizer 130 sq.; alia Wackernagel KZ 33, 9; cfr Schulze GGA 1896, 238 annot. 1.

§ 37. Varia de vocalibus.

Interdum post α vocalem ι occurrit: Κα<ι>μειρίδι I 125^{4}, τοὺς πρεσβευτὰ<ι>ς BM III 403^{147}, φα<ι>νεῖται BM III 441^{79}. Ὑα<ι>κινθίου in amphoris duabus IP 931, quocum Schweizer 103 epenthesin neogræcam *pedáiki, máiγi* comparat.

Interdum ι post ρ invenitur: ὑπέρι εὐχῆς in titulo ævi Christiani I 911; ἱεριέως pro ἱερέως præbet amphora ISI 2393: 188, cfr ἡρίεον pro ἡρίον I 168.

Bis in amphoris Ἀρισοτοκλεῦς pro Ἀριστοκλεῦς I 1252: 9, Ἀθην. 226 n:o 32; cfr Ἀρισοτ(ο)γένευς Ἀθην. 234 n:o 41.

Interdum ι post τ aut δ: στρατ<ι>αγίου I 161^{7} cfr Ῥοδ<ι>ο[ί]ου I 993^{32} (Carp.; primo a. Chr. sæc. non vetustior).

Dupplex ι scriptum est in Ἀλεξιμάχου amphoræ ISI 2393: 63, cfr Τιμαίιος I 985 (Carp.), ἐπὶι Ἑρμοκράτευς Dumont 206 n:o 380 (Cnid.). Paucis tantum rei cuiusque exemplis exstantibus non facile diiudicatur, utrum locis enumeratis anaptyxis vocalium, an mera vitia ab inculcantibus facta subsint.

Epilogus.

Iam singulis rebus tractatis, quæ ad historiam sonorum dialecti Rhodiæ illustrandam pertinere mihi visæ sunt, ad extremum ea, quæ in dialecto maxime insignita sunt, denuo summatim breviterque comprehendam. Primum, quod ad dialecti originem attinet, iam initio huius opusculi demonstravi opinionem totius fere antiquitatis hac in re consentientem fuisse Rhodios ab Argivis ortos esse, quam opinionem res insulanorum nonnullæ commendare videntur. Quæ opinio tamen ipsa Rhodiorum dialectu, quantum quidem titulis novimus, nec confirmatur nec refutatur. Argivæ enim dialecti proprias res in iis invenimus nullas. Dorica vero Rhodios usos esse dialecto satis testimonio monumenta servata sunt. Nec tamen pura Dorica in titulis apparet dialectus. Propter commeatum frequentissimum, qui inde ab antiquis temporibus Rhodiis cum Ionibus vicinis erat, non potuit lingua horum ad dialectum genuinam illorum mutandam non valere. De qua re infra. Cum Atheniensibus iis temporibus, quibus illi locum principem inter Græcos obtinebant, coniunctos Rhodios iam tum ex dialecto Attica sibi nonnulla assumpsisse verisimile est. In penuria tamen titulorum veterum, quinti potissimum sæculi, difficile est certi quidquam de hac re enucleare. At id quidem certum est dialectum Rhodiam iam ante quartum sæculum exiens non pauca mutasse a genuina Dorica ad normam eius dialecti, qua ab anno fere 300 a. Chr. n. Græci in consuetudine communi utebantur, dico κοινήν illam dialectum, cuius principium dialectum Atticorum maxime et Ionum fuisse nunc satis constat[1]. Deinde communis illa dialectus pau-

[1] Cfr Brugmann, Gramm.[3] 20 sq., Schweizer 18 sqq., 29 sqq.; Thumb, Die griech. Sprache im Zeitalter des Hellenismus 248 et passim.

latim irrepens veterem Doricam summovebat. Sed tamen diu habitum coloremque Doricum dialectus retinuit. Tiberii quidem ætate Rhodios Dorice locutos esse Suetonius (Tiber. c. 56) disserte testatur. Etiam post tempora Hadriani, nec minus ævo Christiano[1] vestigia Doricæ dialecti in titulis reperiuntur[2].

1. Diutissime Rhodii Doricum α longum servarunt, quod in titulis usque ad ævum Christianum legitur. Diu etiam α breve nominis Ἄρταμις iuxta ε linguæ communis usque ad tempora Hadriani servatum est. At in ἰαρός et cognatis Dor. ᾰ iam quarto tertioque a. Chr. sæculis rarissimum[3] nec post tertium sæculum umquam apparet. Contra Dor. κα diutius retentum est. Certe primo a. Chr. n. exstat (I 3). γα autem nusquam in monumentis Rhodiis legitur. Genuina forma Dorica Ἀπέλλων nusquam, nec ε nisi in nomine derivato Ἀπελλᾶς remansit. Iam quinto sæculo ο in Ἀπολλω(μ?)ίδα. Quarto sæculo ι in ἱστιατόριον, in titulis posterioribus semper ἑστία legitur. Dorica adverbia αἰές αἰέν iam tertio a. Chr. sæculo ab usu remota videntur. Rarissima est particula αἰ, quæ bis solum in titulo tertio sæculo non recentiore exstat. Iam ante quartum sæculum exiens vulgare εἰ. Posterior pars diphthongi οι numquam fere ante vocales abicitur. Diphthongi longæ ᾱι, ηι, ωι usque ad alterum a. Chr. sæculum integræ remanserunt. Quod ad contractiones attinet, ᾱ ex αα, ᾰε, αω, ᾱο, οᾰ ortum tam diu fere quam ᾱ genuinum servatum est. Genuina Dorica est contractio ᾰε > η, quæ tertio certe sæculo viguit. Etiam medio primo p. Chr. n. sæc. formæ

---

[1] Cum supra p. 25 contenderem in titulis Christianæ ætatis non nisi η communis linguæ exstare, me fugit in elogio I 175, quod Hiller æra Christiana vix antiquius putat, iuxta formam Βερενίκης etiam τᾶς et Πειθιάδα exstare.

[2] Etiam in hodierna dialecto Rhodia reliquiæ nonnullæ sunt, velut ἡ Μίλατος, ἡ Δαματρία, Δᾶμος, Ἄρταμις cet. Thumb l. l. 46.

[3] Falso Thumb, Die griech. Sprache im Zeitalter des Hellenismus p. 43 contendit: "ἱαρο- ist häufig im 4. und 3. Jahrhundert."

apparent, ubi εα $>$ η contracta sunt. Plerumque Rhodiis ut aliis Doriensibus contractio εω $>$ ω non placuit. Interdum tamen contractæ formæ Atticæ exstant, de quibus infra. Quod Ahrens olim inscriptionibus sua ætate cognitis nixus aliique Rhodiam inter mitioris Doridis dialectos numeravit, mea quidem sententia nunc probari non potest. Divisioni illius enim cum εε in nominibus compluribus in η, tum εο apud Phaselitas in ω contracta, tum ε et ο in vetustioribus titulis η et ω producta repugnant. Ac mihi quidem verisimile videtur Rhodios olim οο in ω contraxisse æque ac Carpathios, Casios, Cnidios, quamquam iam quinto et quarto a. Chr. sæculo auctoritate Ionicæ vel Atticæ dialecti ου substitutum est. Doricum τ ante ι in terminationibus 3 sg. et 3 plur. verbi -τι, -ντι tam diu servasse videntur, quam dialecto Dorica utebantur. Nusquam enim in Att. -σι mutatum est. Neque Rhodii Att. ττ pro σσ usurpaverunt. Quamdiu spiritum asperum retinuerint, pro certo diiudicari non potest. Tamen, si ex titulis, in quibus tenuis in aspiratam semper recte mutatur, iudicare licet, ante Chr. n. nondum omnino amiserunt.

2. Antea sæpius ostendi auctoritatem dialecti Ionum apud Rhodios non parvam fuisse. Cuius auctoritatis, ut omittam Rhodios multo prius quam ceteros Dorienses partim litteras Ionicas accepisse, testimonio sunt nummi Ialysii quinti a. Chr. sæculi, in quibus iuxta Doricam formam Ἰαλυσίων etiam Ionica Ἰελυσίων legitur. Huc certe referendum est etiam quod digamma mature disparuit, cum apud alios Dorienses diu servaretur. Nec sine auctoritate Ionicæ dialecti contractio οα $>$ ω facta videtur in nominibus Τιμῶναξ, Δαμῶναξ cet. Ex fonte eadem fluxit fortasse etiam contractio εᾱ $>$ η in Νεμῆι, Χαλκῆ et in flexione Ἀριστῆς gen. Ἀριστῆ. Neque a probabilitate abhorret rationem illam ευ ($<$ εο) scribendi ab Ionibus sumptam esse, præsertim cum eodem fere tempore apud eos quo apud Rhodios in usu esse coepisset (Hoffmann Dial. III 475). Ex tribus illis formis ξηνο-, ξεινο-, ξενο-, quæ in titulis æquales sunt, ξεινο- ex dialecto

Ionica petitum videtur. Nec scio an ο in ου productum in Διοσκουρίδας cet. huc referri oporteat. Etenim, si ante ν, ρ(<νϝ, ρϝ) productio facta est, η et ω fieri debere mihi verisimile videtur.

3. Iam mature denique dialectus illa, quam Græci ipsi κοινήν vocabant, apud Rhodios ad dialectum veterem mutandam valuit. De origine autem dialecti communis mihi probabile maximum videtur, quod Thumb (Die griech. Sprache im Zeitalter des Hellenismus p. 248) contendit primam communis dialecti originem usque ad tempora societatis maritimæ Atheniensium esse revocandam. Hoc modo facile intelligitur, cur Rhodiorum et omnino insulanorum Caricorum dialecti tam mature et ante quam aliæ Doriensium communi illa affectæ sint, quippe qui non procul a centro, ut ita dicam, habitarent, et iam ante tempora Alexandri cum iis Græcis rationem haberent, unde postea communis illa dialectus profecta est. Sed quoniam multis in rebus nondum satis constat, quæ communis, quæ Atticæ linguæ sint, supra nullum earum discrimen feci.

Atticæ vel communis linguæ in dialecto Rhodiorum mihi hæc videntur. Ἄρτεμις et derivata nomina, quæ ab altero a. Chr. n. sæculo in titulis inveniuntur, ε in ἱερός, quod iam in titulis quarti sæculi frequens, post tertium sæculum solum usurpatur; γε, quod in titulis privatis ab altero sæculo solum reperitur. Ad Atticam linguam forma ἕνεκα convenit, quæ a tertio a. Chr sæculo exstat. A primo sæculo communis linguæ ἕνεκεν usurpari coeptum est. (Cfr Meisterhans[3] 215 sqq.). Haud aliter atque apud Atticos in titulis tertio sæculo non recentioribus τέλεος, in posterioribus τέλειος leguntur. Diphthongi αι posterior pars non modo in adverbio Attico ἀεί (a tertio sæculo) sed etiam ab altero sæculo in demotico Rhodio Ἐριναέως ante ε ut in dialecto Attica disparuit. Diphthongus οι autem in titulis Rhodi inaratis semper ι retinet. ἐποήσαντο semel CIG 3656[6] iuxta ἐποιήσαντο. Ut in Attica lingua υι > υ in ὀργυᾶν (tertii a. Chr. sæculi), Ἐλευθυεύς. Communis linguæ

fortasse est ου in δοῦλος, οὖν. Atticum est ἑατῶν (Augusti vel Tiberii ætate). Huc pertinent contractio εᾰ > α in ἐνίκα, ὅρα (altero a. Chr. sæculo), acc. sg. ἱερέα (semel) iuxta ἱερῆ, et εο > ου a tertio a. Chr. sæculo iuxta ευ, εω > ω contracta. Interdum οα > ω (πρῶτος) in nominibus propriis contrahitur. Quod ad contractiones εε > ει, οο > ου attinet, aut ex Attica aut ex Ionica lingua adductæ esse possunt. Ex lingua Attica vel communi certe productiones suppletoriæ natæ sunt ει et ου in εἰμί, εἶμειν, βουλά, quæ inde a tertio sæculo semper apparent. Huc etiam formas, in quibus productio compensatoria facta non est, velut ξένος, ἔνατος, ὄρος, Δορίμαχος referendas esse mihi probabile videtur. De quibus tamen difficile est pro certo quidquam enucleare, priusquam testimonia certa vetustiorum temporum nobis præsto sunt. Quantum apud Rhodios dialectus Attica vel communis accreverit, videre licet in præpositione ἐς, εἰς. Illa forma vetustior enim quarto et priore parte tertii sæculi sola exstat, deinde sensim communis εἰς alteram summovebat, ita ut primo a. Chr. n. sæculo ἐς omnino fere dispareret. Maximi momenti denique erat, quod a primo fere a. Chr. n. sæculo η communis linguæ pro Dorico ᾱ sensim irrepsit, quod prius in nominibus propriis, deinde primo post Chr. sæculo etiam in aliis verbis cernitur. Tamen ᾱ, ut iam dixi, quamquam rarius, etiam in titulis recentioris ætatis restat.

4. Tituli privati nonnumquam, amphoræ sæpissime a publicis titulis in orthographia utique discrepant, quippe cum quotidianam vel vulgarem linguam accuratius reddant. Dolendum tamen est, quod nonnumquam de lectione amphorarum et de ætate cuiusque parum certi constat.

Popularis vero sermonis esse hæc videntur. ει pro ε in εἰπί pro ἐπί, Ἀνδρογείνευς, Διοκλείους, quocum conferri potest contrarium ε pro ει (ab altero a. Chr. sæculo) in Καρνέου, Πεδαγετνύου cet., quibus sonus clausus (ẹ) significari videtur. η pro ει (ẹ̄) a primo fere ante Chr. sæculo (Πεδαγητνύου, Χαρίκληα); η pro ι medio primo post Chr.

sæculo vetustius vix est. Quod ad hyperdorismum illum Ζάνων, Αἰνάτορος, Αἰνασιδάμου attinet, fortasse linguæ populari tribuendus est. Crediderim formas eas errore iis temporibus natas esse, quibus vulgari η uti coeperant, ita ut ponerent, ubi genuino ᾱ non responderet. Iam altero a. Chr. sæculo interdum ω in ου (= ū) transierat. Popularis sermonis confusio vocalium ι et υ, υ et ε, η, porro contractio εω > ευ erant. Cum mutatione accentus fortasse cohæret quod pars posterior diphthongorum interdum disparuit: α pro αι (quod etiam papyri temporum Ptolemæorum præbent)[1], ε, η pro ευ. Circiter annum 200 a. Chr. -ιεια in ια (script. εια) coaluisse videtur. Primo a. Chr. sæculo ι pro ει et ει pro ι. Ab altero ante Chr. sæculo quantitates vocalium æquari coeptæ sunt. Vocales breves aut debilitatæ sunt aut omnino exciderunt. Nasalis ν ante consonas ab altero a. Chr. n. sæculo interdum disparuit. Iuxta Πεδαγείτνιος et Βαδρόμιος nonnumquam Πεταγείτνιος et Βατρόμιος. σ finale interdum disparuit. Populari pronuntiationi sine dubio adnumerandæ sunt haplologia et tranpositio vocalium syllabarum vicinarum. Pluribus in aliis rebus sermonem popularem quotidianumque ab eo discrepasse, quo in titulis publicis utebantur, probabile est, quamquam e materie exigua, quæ nobis præsto est, nihil certi de hac re concludere possumus.

5. Quod ad dialectos colonorum, Phaselitarum, Agrigentinorum, Gelensium, Reginorum attinet, quantum ex fontibus exiguis videre licet, ad dialectum Rhodiorum plurimis in rebus conveniunt. Cognatio dialectorum omnium infinitivo in -μειν cadente comprobatur. Videntur Phaselitæ vocales εο more severioris Doridis in ω contraxisse, (ἐξαιρῶντες), quas Gelenses et Agrigentini et Regini primo a. Chr. sæculo nondum, Rhodii a quarto sæculo in ευ contraxerant. Terminatio -ιος pro -εος (Μενεκράτιος) laminæ

[1] κα > καί, γέγραπτα = — ται et alia, Crönert, Arch. für Papyrusforsch. I 213.

Gelensis fortasse dialecti Creticæ residuum est. Alias ε in ι non transiit. Porro Agrigentini εε in ει contraxisse non videntur in nominativo plurali stirpium in -ν cadentium (πρέσβεες). Præterea cum Gelenses tum Agrigentinos tum Reginos post varios casus etiam primo a. Chr. n. sæculo Dorica dialecto quamquam non pure locutos esse tituli servati nobis testimonio sunt.

Index notarum.

'Αθην. = 'Αθήναιον, tomus III, Athenis 1874, 75.

AM = Mittheilungen des kaiserlich deutschen archæologischen Instituts, athenische Abtheilung, Athen.

Atti = Atti del reale istituto Veneto di scienze, lettere ed arti, tomo 57, Venezia 1898.

Arch. Jahrb. = Jahrbuch des deutschen archæologischen Instituts, Athen.

Arch. Zeit. = Archæologische Zeitung.

BB = Beiträge zur kunde der indogermanischen sprachen, herausgegeben von Ad. Bezzenberger und W. Prellwitz, Göttingen.

Bechtel, Person.[2] = Die griechischen Personennamen nach ihrer Bildung erklärt von August Fick. Zweite Auflage bearbeitet von F. Bechtel und A. Fick.

BCH = Bulletin de correspondance hellénique, Paris.

BM = Collection of ancient Greek inscriptions in the British Museum, Oxford.

Cat. Car. = Catalogue of the Greek Coins of Caria, Cos, Rhodes. &c. London 1897.

Cat. Sic. = Catalogue of the Greek Coins in the British Museum; Sicily, London 1876.

CIA = Corpus inscriptionum Atticarum, Berolini.

CIG = Corpus inscriptionum Græcarum, Berolini.

CIL = Corpus inscriptionum Latinarum, Berolini.

Dumont = Inscriptions céramiques de Grèce par M. Albert Dumont (Archives des missions scientifiques et littéraires, sér. 2, tom. 6, Paris 1871).

Eranos = Eranos, Acta philologica Suecana, Upsala.

'Εφημ. 'Αρχ. = 'Εφημερὶς ἀρχαιολογική, 'Εν 'Αθήναις.

GDI = Sammlung der griechischen Dialekt-Inschriften, herausgegeben von H. Collitz und F. Bechtel, Göttingen.

Hist. Num. = Head, Historia numorum, Oxford 1887.

I vel IGI I = Inscriptiones Græcæ insularum Rhodi Chalces Carpathi cum Saro Casi edidit F. Hiller de Gaertringen, Berolini 1895.

IGI III = Inscriptiones Græcæ insularum maris Aegæi, fasc. III, ed. F. Hiller de Gaertringen, Berolini 1898.
IF = Indogermanische Forschungen, herausg. von K. Brugmann und W. Streitberg, Strassburg.
IF (Anz.) = Indogermanische Forschungen, Anzeiger, Strassburg.
IGA = Inscriptiones Græcæ antiquissimæ, edidit H. Roehl, Berolini 1882.
IP = Die Inschriften von Pergamon, herausgegeben von M. Fränkel, fasc. II, Berlin 1895.
J. Ph. = Jahrbücher für classische Philologie, herausgegeben von A. Fleckeisen, N. F. Suppl. Leipzig.
ISI = Inscriptiones Græcæ Siciliæ et Italiæ, edidit G. Kaibel, Berolini 1890.
KZ = Zeitschrift für vergleichende Sprachforschung, begründet von A. Kuhn, herausgegeben von E. Kuhn und J. Schmidt, Gütersloh.
Meisterhans[3] = Grammatik der attischen Inschriften von K. Meisterhans. Dritte Auflage besorgt von Eduard Schwyzer, Berlin 1900.
Mel. = Mélanges Gréco-romains, S:t-Petersburg.
Mionn. = Mionnet, Descriptions des médailles antiques, grecques et romaines, Paris.
Mnem. vel Mnemos. = Mnemosyne. Bibliotheca philologica Batava, N. S. Lugduni-Batavorum.
Museo Ital. = Comparetti, Museo Italiano di antichità classica, Firenze.
Monumenti ant. = Monumenti antichi publicati per cura della Reale Academia dei Lincei, Milano.
Notiz. = Notizie degli Scavi di antichità, Roma.
PH = The inscriptions of Cos by W. R. Paton and E. L. Hicks, Oxford 1891.
Ra = Revue archéologique, Paris.
Rhein. Mus. = Rheinisches Museum für Philologie, Bonn.
Schweizer = Grammatik der pergamenischen Inschriften von Eduard Schweizer, Berlin 1898.